S. RITUUM CONGREGATIO.

DECRETUM.

Cum propositum fuerit dubium: Utrum festum duplex vel semiduplex, quod perpetuo redactum est ad ritum simplicem, considerari debeat uti simplificatum vel uti simplex, — Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario atque audito voto Commissionis Liturgicae respondentum censuit:

Negative ad primam partem, *Affirmative* ad secundum; servatis Rubricis.

Atque ita rescripsit die 7 Decembris 1900.

L. ✠ S.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

D. PANICI, *Archiep. Laodicen. Secret.*

Nota. Distinctio inter **simplificatum** et **simplex** festum, uti notum est peritis, haec est, quod illud ius habet ad tres consuetas commemorationes, in primis nempe Vesperis et secundis, atque ad Laudes: istud vero ad duas, nempe in primis tantum Vesperis et Laudibus. Hoc tamen Decreto S. R. C. declarat, Simplificatum **perpetuo** mutare naturam suam, seu de Simplificato in Simplicem transire: quod idem est ac dicere, Simplificatum in perpetuum non amplius ad tres, sed ad duas tantum commemorationes ius habere, uti Simplicem. Quod nil sapientius credimus; si enim antiquum ius servaret trium commemorationum, praeter confusionem, quam uti patet, eiusmodi Simplificatum induceret, nova exurgeret distinctio, de qua Rubricae silent, hoc est: **Simplificatum** *per aceidens*, **Simplificatum** *perpetuo* et *Simplex*. Quam volens Sacrorum Rituum Tribunal arcere, iure merito statuit, *Simplificatum perpetuo* esse uti *Simplicem* considerandum, seu esse **Simplicem**. et ius habere ad duas tantum commemorationes, in primis Vesperis et Laudibus.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

II.

DE SUPERPELLICEO ET ROCHETTO.

Barnabas Presbyter plures in feriis autumnalibus regiones petiit, seu ad solatium, seu diversos mores dignoscendi causa. Maximopere autem in earum templis sacrisque functionibus se placet. In his autem, prae reliquis, mussitandi rationem se habuisse censet a Sacerdotibus, ne Canonicis quidem exclusis, ab aliisque Ecclesiae ministris, qui in superpelliceo et rochetto deferendis, nonnisi vanitatis argumentum videntur agnoscere. Alicubi enim superpellicea vidit praegrandia, cum pluribus ante et retro plicaturis, manicisque largioribus, et sicut superpellicea ita et earum longitudo ad terram fere pertingebant. Alibi vero ita superpellicea et rochetta erant parva atque angusta, ut longitudo vix ad pectus perveniret, ideoque circumscripta latitudo, ut clerici intra ea arcte detineri viderentur. Alia autem superpellicea admiratus vidit nullas habentia manicas, brachia enim deferentis illa, talari tantum erant cooperta. Ex iis autem alia ex materia linea, alia ex gossipio confecta erant: alia textile denticulatum vix aut penitus non habebant; in aliquibus autem minima pars ex filo aut gossipio erat, reliquum vero ex denticulato textili. Nonnulla praeterea superpellicea vidit, quae haud ex tela, sed ex

ansulis seu anulis, vulgo *a maglia*, elaborata fuerant: quaedam autem simplicia, quaedam etiam crispata apparebant. Denique ligamen, quo superpelliceum et rochettum vinciebantur, nunc ex vitta erat caerulea, nunc alba, nunc rubea, aut multicolor, nunc parvae nunc praegrandis mensurae, ut peculiare aliud videretur ornamentum. Quae omnia ac singula Barnabas considerans tamquam indecora et uniformitati adversa, secum quaerit:

1. *Quando et unde seu superpelliceum seu rochettum initium habuerint in latina Ecclesia, quidque de iis animadvertendum in graeca, et num aliquam et qualem symbolicam significationem habeant?*

2. *Quibus superpelliceum et rochettum deferre competat, et super qua veste indui illa possint, quibusque in functionibus?*

3. *Num superpellicei et rochetti materia et forma ex iure liturgico sint praescriptae, et quid de tanta in illis sub multiplici respectu varietate iudicandum, ut in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Aloisii Capotosti, Almi Collegii Capranicensis alumni, habita in S. Aede Congr. Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 28 Novembris 1900; acta Epitome per R.mum Dom. Philippum M. Can. Difava, S. R. C. Substitutum.

I. 1. « Quando et unde seu superpelliceum seu rochettum initium habuerint in latina Ecclesia? ».

Quaestionem de superpelliceo et rochetto propositam arripientes perplures difficultates ac incertitudines obnoxias habebimus, quas dissimulare nemo

potest, si vel unum aperiat volumen operis cl. Moroni, cui titulus *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica*. ad vocem « **Cotta** ». Ibi videre est quam diversae et adhuc oppositae existant opiniones circa originem, veterem materiam et antiquam formam huius communis ecclesiasticae vestis. Equidem scio, nonnullas ex illis opinionibus quae, cum opus illud concinnabatur, simpliciter, velut et aliae permultae, probabiles erant, nunc, post studiorum S. Liturgiae et Christianae Archaeologiae auspicatissimum progressum, certas evasisse, et vicissim quasdam alias nullo fundamento innixas inventas esse; at nil exinde, quod etiamnum praesenti quaestioni suas penitus non paucas incertitudines auferat. His praemissis, cum haud hic sit locus singulas diversas opiniones enumerandi, cum variis iudiciis, brevitatis ergo, sermonem instituemus tantummodo de iis opinionibus, quae salvo meliori iudicio, nobis, nunc saltem, maiori gaudere probabilitate videntur. Libenter quippe sacrae Liturgiae et Archaeologiae cultoribus, undequaque ceterum reverentia dignis, munus relinquimus ultimam proferendi sententiam (quod in multorum est optatis, et quamprimum eventurum confidimus) super iis omnibus, quae in casus propositi solutione dicenda existimabimus.

Quod ecclesiastici viri, primis quoque Ecclesiae temporibus, in sacris functionibus peragendis, peculiaribus usi fuerint vestibus, non vero communibus, quae in civilibus de more gerebant, nunc demum praeter omnem dubitationem retinetur; omnes periti de hoc conveniunt. Quod tamen maiorem Liturgistarum partem a ceteris dividit, est concors illorum opinio, quae, cum reiicienda videatur forma quaedam differens in vestibus, pro sacris obeundis muneribus, adhibendis, prae communi, admittit tamen servatum omnino fuisse morem, speciales induendi vestes, nitidiores decentioresque, ad ministrorum in sacras res obsequium ostendendum, et ad adstantium venerationem excitandam.

Et re quidem vera, documenta plura testantur, clericos in ritibus sacris, antiquitus, albis vestibus usos fuisse. Ita ex. gr. 37^us^ inter « Canones Hippolythi » expresse loquitur de Diaconis et de Presbyteris, ad Synaxim, indutis vestibus candidis ac pulchrioribus consuetis: « Quotiescumque Episcopus mysteriis frui vult, congregantur Diaconi et Presbyteri apud eum, induti vestimentis albis pulchrioribus toto populo, potissimum autem splendidis etc. » S. Ioannes Chrysostomus, in Homilia 22 in Matthaeum, tunicam sacri ministri albam et splendidam esse declarat; et S. Hieronymus, in lib. I contra Pelag. (circa finem), inquit: « Quae sunt ergo inimicitiae contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? Si Episcopus, Presbyter, Diaconus, et reliquus ordo ecclesiasticus, in administratione Sacrificiorum candida veste processerint.... » Tandem, quoad primaeva Ecclesiae tempora, testimonium manet in quadam Stephani Papae (257-60) praescriptione, in « Liber Pontificalis » relata (Cfr. Duchesne: *Liber Pontific.*), ex qua, *ad minimum,* probare possumus, vestes Ecclesiasticorum in Ecclesia adhibitas, haud eas ipsas fuisse, quas iidem in civilibus deferebant. Liber nimirum Pontificalis ita, ad rem, se habet: « Hic (Stephanus) constituit Sacerdotes et Levitas **vestibus sacratis** in usu quotidiano non uti nisi in Ecclesia *(I, 154)* ».

Ex his omnibus documentis, prout ex plurimis aliis, quae, referendo, nimium nos in longum abire cogerent, omnimoda deducere certitudine valemus, *omnes* Ecclesiasticos, in sacris exercendis functionibus *candida tunica* usos fuisse. Videndum nunc, quaenam esse deberet materia ac forma eiusmodi tunicae.

Tunica, quae χιτών graecorum est, primum extitit ex indumentis apud veteres Romanos, illud videlicet quod immediate super corpus ponebatur, et unico constabat textili oblongae formae complicato, uno ex latere, in plicatura scilicet, superius discisso, qua ex

scissura, foraminis instar peracta, brachium liber emitteretur, ex altero vero binis superioribus extremitatibus colligandis et super scapulam figendis ; quod demum circa lumbos cingulo, seu zona astringebatur. Harum plures fuere species: tunica interior, graece ποδήρης nuncupata, nempe usque ad pedes producta, et latine *talaris*, quia talos pertingeret. Eadem *manicata* appellata est, eo quod manicas habebat, breviores prius, at postea longiores, quae ad extremam oram stringebantur. *Subucula* quoque dicta est, quippe quae sub ceteris omnibus indumentis gerebatur: *vestis lintea*, vel simpliciter *lintea*, cum generatim ex lino conficeretur; et tandem *alba*, ex eo quod color illius fere semper albus erat. Latitudo tunicae, prout novisse datur, amplior pro mulieribus, quam pro viris fuit. Verum, S. Hieronymi aevo, tunicae usuvenerant arctissimae formae; sic idem S. Doctor ait in Epistola LXIV, 11 ad Fabiolam: « Adhaeret corpori tunica, et tam arcta est, et strictis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga ». Alterius speciei tunica exterior erat, quae, ut plurimum, ex lana conficiebatur, usque genu producta, absque manicis, aut saltem talibus, quae cubitum, ad summum, pertingerent, quod novimus ex Tertulliano, de tunicis Carthaginensium loquente. Tertiae formae habebatur tunica, rudior ceteris, sine manicis, aut iis brevissimis, quae vocabatur *colobium*. Haec interdum purpureis clavis ornabatur *(clavata)* plus minusve patulis, Senatorum et Equitum more (Cfr. Sveton.), qui a collo per medium pectus usque ad extremitatem tunicae protendebantur; serius clavorum locum purpureae fasciolae, seu vittae exceperunt; quae ornamenta latiora aut strictiora cum essent, tunicae nomen dabant *laticlavae* aut *angusticlavae*. Ex hac tunica Dalmatica et Tunicella derivarunt. Denique Garrucci (Storia dell'arte cristiana, *lib. II, cap. V)* quartam describit tunicam, χειρίς graecorum, brevissimam, usque nempe ad medium corpus

productam, apertam anterius, praeditamque manicis longis, cui, Romae, species quaedam pallii superponebatur, quod *caputii* vel *amictorii* nomine distinguebatur.

Diversis tunicarum varietatibus breviter enumeratis et descriptis, iis nimirum quae apud antiquos Romanos in usu fuerunt, argumentum sumamus ex quanam earum originem duxerint nostra *alba* primitus, et postmodum *rochettum* et *cotta* seu *superpelliceum*. Superius diximus, tunicam *poderem* usque ad talos longam fuisse, longasque manicas habuisse, prope manus utique perstrictas, generaliter ex lino confectam, ideoque *linteam* appellatam, et tandem colore plerumque albo nitentem, unde *albae* nomen invectum. Nunc igitur sacra illa vestis, quam Ecclesia semper, adhuc et in sua forma, retinuit, et quam *alba* seu italice *camice* dicimus, nonne respondere adamussim videmus *tunicae talari*, a nobis iam descriptae? Possumus ergo, maxima cum probabilitate, inferre, nostram *albam* nil aliud esse praeterquam tunicam talarem, illam scilicet *tunicam candidam*, quam authentica documenta adhibitam testantur ab antiquis Ecclesiae ministris in sacris ritibus. Sed cur diximus maxima probabilitate? Potius dicendum omnimoda certitudine concludendum esse, ceterum cum omnibus christianae Archaeologiae peritis, albam cum tunica talari ad unguem convenire, quod non modo scimus, sed et oculis nostris perspeximus in pervetustis musivis, et picturis in Catacumbis almae huius Urbis existentibus. Inibi videre est, primum sacrum indumentum ab Ecclesiasticis usitatum reipsa *tunicam poderem* fuisse, desuper quod cetera superimponebant, prout hodiedum primum aeque sacrum indumentum est *alba* seu *camisium*, cui aliae cunctae sacrae vestes imponuntur. De albae originibus certioratis, nobis asserere fas est illico easdem habere et *rochettum*; nimis ceterum evidens intuenti est, hoc aliud non esse, nisi albam dimidiatam, ad maiorem

clericorum commoditatem, qui, ut iam notavimus, antiquitus, tenebantur omnes albam induere; unde ad ulteriora gradum facere liceat.

Haud ita plane de *cotta* seu *superpelliceo*, res definiri valet; volunt enim quidam illam eandem originem agnoscere a *tunica exteriori*, sive a χειρίς, de qua agit Garrucci, suamque probare satagunt assertionem, ex eo quod cotta manicas habet breviores; alii eandem praesumunt originem habere quam rochettum, nempe ex *tunica poderes*. Primam ex his opinionibus Ill.mus ac R.mus Franciscus Magani tuetur (L'antica Liturgia Romana, *vol. III, art. III, cap. 2*), alim cl. et R.mus Duchesne (Origines du culte crétien, *pag. 367*), ac condividitur a cl. Prof. Magistretti, qui in suo docto opere, de vestibus sacris Mediolani adhibitis, publici iuris facto in « Ambrosiana », loquens de rochetto et de cotta, ita se exprimit *(pag. 30)*: « Il decreto del Sinodo IV milanese (tenuto da S. Carlo Borromeo nel 1574) relativo alle insegne dei prevosti accenna che era antico l'uso di un *rocchetto* o *cotta dalle maniche strette*, da indossarsi sotto la cappa: non v'ha dubbio, è il *camisium* del Beroldo, la *candida toga* di Landolfo, la quale coll'andare del tempo, come cambiò di nome, *superpelliceum* o *cotta*, così cambiò di forma, *ampliando le maniche* per poter stare sopra le pelliccie ». Iuxta praelaudatum Magistretti, igitur, cotta a rochetto derivat, hoc autem a *camisium*, nempe a *tunica talaris*. Quaenam ex duabus opinionibus praeferenda sit, nostrum non est iudicium ferre; facultas tamen dabitur nostram exprimendi videndi rationem, qua probabiliorem posteriorem censemus sententiam, eam videlicet quae *cottae* seu *superpellicei* originem novit immediate a *rochetto*, hoc vero mediante, ex *alba*, *camisio*, sive *tunica podere*. Primam ceterum argumento fulcire ex manicarum brevitate nobis non videtur opportunum; namque credimus id haud iure esse factum, sed ex sola com-

moditatis ratione, cum ceterum non desint auctores asserentes, cottae manicas pertingere debere usque manus, et observantissimas religiosas Communitates videmus praelongas gestare manicas in superpelliceis. Quod vere communiter observatur est amplitudo manicarum, pro qua insuper plura stant Decreta, quae vetant promiscuum usum rochetti etiam pro cotta.

Quonam autem tempore usus cottae et rochetti invaluerit, difficilius statui potest: quippe quod, tam de illa veste, quam hodie rochettum appellamus, quam de superpelliceo, documenta saeculo XII anteriora desiderantur. Nil mirum de cetero, agitur namque de re sensim sine sensu invecta, et, prout de aliis multis accidit, quae ex corruptione, ut ita dicam, primitivi obiecti emanarunt, impossibile profecto est certum tempus mutationis dignoscere, quinimo potius absurdum. Saeculo XI, et praecise anno 1060, verbum *superpelliceum* invenimus in legibus Eduardi Angliae regis usurpatum; at, sicut optime cl. Professor Armellini observat (Lezioni di Archeologia cristiana, *pag. 422*), illud aliud non erat, nisi *alba*, superpelliceum vocata, ob rationem quam a Magistretti audivimus. Diximus superius, *de illa veste quam hodie rochettum appellamus*, quia non semper eodem sub nomine distincta est. Prius *camisiolum* audivit ac etiam simpliciter *camisium*, uti videre datur apud Beroldum, a Magistretti citatum, ac postea etiam *camisia romana*, prout habetur in chronica S. Martialis, anni 1318. Vox *rochettum* non invenitur ante saeculum XIV usitata; en porro illius origo:

Rochettum, iuxta philologos, a germanica voce *Rok* derivat, quae significat *vestis*. Probabiliter Itali, ut nomen huic indumento ecclesiastico distinctum darent, exceperunt, italo idiomati aptando, verbum illud *Rok*, italam insuper ei formam diminutivi sufficientes, eo quod nimirum, significare haud debebat vestem integram, sed parvam vestem seu decurtatam.

Hinc confecta est, ut patet, vox illa *rocchetto*, quae postea a Liturgistis latine reddita fuit, ac rochettum appellata, eodem ferme modo, quo a Moralistis hodie latine adhibentur alterius idiomatis verba, v. gr. *cafeum* pro nota potione arabicae fabae, *chocolatum* etc. pro alia potione fabae mexicanae. Haec ratio originem demonstrandi vocabuli *rochettum* in auctoribus de his rebus tractantibus non invenimus, cum ii hoc tantum dicant, illud a voce *Rok* derivare; at putamus veram et unicam esse. Verum est, alios, apud Macri (*Hierolexicon*, ad vocem *rochettum*), praesumere hoc vocabulum etymon habere ex graecis vocibus ῥών, idest fluens vel mollis et χιτών, idest tunica. Quoad orthographiam hoc animadvertendum: latine, alias binis literis *c* et *t* scriptum reperitur; alias duplicata una ex praefatis literis, non autem altera; alias vero unica utrolibet adhibita. Italice praefertur hodie, alicubi, prout purioris sermonis, vox *roccetto* sive *roccietto*; sed et communiter dicitur *rocchetto*; id autem evenit, quod dulcisonus italicus concentus, sicuti habet gallica vocis *rochet* pronunciatio, dicere maluit, molliori sonitu, *roccietto*.

Similis plane vocis *cotta* dignoscitur origo, ex germanica videlicet *Cot*, quae significat *vestis*; haec vero, sua vice, aequali probabilitate, aut ex graeca χιτών, quae significat *tunica*, aut ex araba *Kittan*, quae eandem fert significationem, in quantum tamen ex lino confecta est. A Liturgistis, eandem methodum sequentibus a nobis descriptam, de rochetto loquentibus, primitus latine versa est in barbaram vocem *cottis*, modificata postmodum in *cotta*. Denique, non minus barbare, *superpelliceum* vocata est, quia, ut diximus, in frigidis regionibus, Canonici super pelliceam vestem eam induebant. Hoc demum indumenti genus, longius prius, postea brevius *(alba contracta)*, modo corpori adhaerens, modo amplius, semper commoditatis ministrantium gratia, usque dum superpel-

liceum fieret, albae derivatio est. Antiquius, quod novimus, documentum, vocabulum *cotta* referens, saeculo pertinet XII, cui Gregorii Antibonensis testamentum pertinet, suam *cottam* legantis Monasterio S. Chrysogoni.

His, de quibus breviter disseruimus, expositis, satis videmur fecisse primae huius quaesitus parti, circa originem seu superpellicei, seu rochetti. Modo ad alteram transeamus.

2. « Quid de superpelliceo et rochetto animadvertendum in graeca Ecclesia? ».

Hoc unice et simpliciter reponimus: Ecclesia graeca neque superpelliceum neque rochettum novit; tantummodo, *cottae* loco, inferiores ministri *tunicam* induunt. Id veterem reflectit morem communem in Ecclesia. En quod ad rem legitur in graecorum Euchologio: « Vestis sacra clerici *casula* vocatur: licet non ea sit sacrata vestis, quam Sacerdotes in mysteriis perficiendis, ceu proprium sibi ornatum, assumunt, sed alia brevior ad eius formam, vel ad tunicae Diaconicae instar praecisa, quam Thessalonicensis lib. de Sacram. ita depingit: Obtinuit lector vestem camisiam, idest albam vocatam, quae ad parvae Casulae, vel certe Tunicae modum, e lino conficitur, primamque Sacerdotii delibationem demonstrat. Parva est propterea, Deique protectionem menti repraesentat; vel purpurea, propter purpureum Christi indumentum; vel candida, propter Sacerdotii puritatem, et lumen, quo splendet ».

3. « Num aliquam et qualem symbolicam significationem superpelliceum et rochettum habeant? ».

Cum nihil differat utrumque, de quo inquiritur, indumentum ab alba, nisi ob plus minusve longam aut latam formam, quae dantur de hac significationes, sunt quoque illis applicandae; ac proinde dicendum est ea significare albam vestem qua indutus fuit ab Herode D. N. I. Ch., ac moraliter repraesentare in-

nocentiae, puritatis ac sanctitatis symbolum. Ait Durandus *(lib. 3, c. 1)* cottam habere Crucis formam, quia Ecclesiastici imitari debent Christum crucifixum. Gemin. *(de antiq. rit. Miss., lib. 1, c. 132)* inquit: « Haec vestis est laxa, quia clericalis vita debet esse in eleemosynis et bonis operibus larga; est etiam talaris, quia docet usque ad finem perseverare in bonis ». Idemque Auctor addit, quod tempore quadragesimali superpellicea gerebantur ex lana contexta in signum moestitiae et humilitatis, inquiens: « Diebus quadragesimae, vel alio congruo tempore laneis tunicis utuntur, quia Ministri Ecclesiae Regi Christo in humilitate servire praecipiuntur ».

II. Barnabas noster inquirit secundo: *a)* « Quibus superpelliceum et rochettum deferre competat? *b)* Super qua veste indui illa possint? *c)* Quibusque in functionibus? ».

a) Quod superpelliceum respicit, dicimus, vestem esse communem omnibus Ecclesiasticis, si excipias, quod fere semper fit, saltem in similibus, Episcopos et eis Superiores, de coetu clericorum saecularium, a quibus alia suppar vestis substituitur, nempe rochettum. Unicum credimus probari casum, quo Episcopus saecularis cottam gerit, cum nempe, de coetu existens Pontificio Solio Assistentium, ministerium Summo Pontifici praebet in planae Missae celebratione. Supervacaneum est adnotare, quod superpelliceum, vestis sacra cum sit, deferri nequit in civilibus, sed tantummodo pro functionibus sacris. Rochettum auautem, saltem ex conventione, quia cetero vidimus eamdem habere originem cum superpelliceo, tamquam vestis habetur dignitatis significativam, qua Summus Pontifex, Eminentissimi Domini Cardinales saeculares, R.mi Episcopi itidem saeculares, Praelati Romanae Curiae, aliique apostolico privilegio gaudentes utuntur. Qui tamen sunt Episcopis inferiores, et rochetti potiuntur privilegio, cum aliquam exercere sacram actionem

debent, in qua, iuxta Rubricas, superpelliceum praecipitur, hoc semper omnino assumere debent, facta tamen potestate istud super illud imponendi. Excipe si aliquando superpelliceum Pluviali supponendum foret, aut alteri sacro indumento (non soli stolae), v. gr. in benedictione SS. Sacramenti, in Vesperis solemniter decantandis, in Processionibus, etc. a Praelatis vel Canonicis privilegiatis, quia tunc rochettum vices *albae* tenere videtur, et commodius sub alio ornamento forma rochetti adaptatur, quasi alba contracta; dum ceteroquin, quod potissimum consideratur in casu, est indumentum exterius. Ab iisdem item adhibetur rochettum pro superpelliceo ante cetera paramenta, uti ex Rubrica Missalis (Ritus servandus etc. *I*, 2).

Videant tamen privilegiati, et praecipue Canonici aut alii corpus, coetum vel collegium constituentes, ne fines sui privilegii excedant, rochetto utentes extra locum in quo sunt privilegiati, Ecclesiam, Dioecesim, Parochiam etc. singulatim, et non collegialiter seu capitulariter incedentes, prout, contemptis Ecclesiae legibus, faciunt *non pauci*, in vanitatis pabulum, cum ignominia divini ministerii, vertentes quod in virtutis stimulum institutum est. Operis pretium ducimus nonnulla referre Decreta, ad maius nostri asserti robur. Sit primum illud quod a S. R. Cong.ne datum fuit in *Templen.* die 12 Ianuarii 1878; ibi, ad Dubium VIII, quaesitum reperitur: « An licite possint Mansionarii, Clerici et initiandi assistere sacris functionibus induti rochetto, vel superpelliceo formam rochetti praeseferenti? » Resp. « Ad VIII. *Negative*; et serventur Decreta ». Audiatur alterum d. d. 23 Martii 1882 in *Adiacen.* ad 1: « Ab immemorabili Parochi et Ecclesiarum Rectores Dioeceseos Adiacen. rochetto loco superpellicei, in administratione Sacramentorum utuntur; quamvis expresse declaraverit S. R. C. die 10 Ianuarii 1852 in una *Cenomanen.* in responsione

ad quintum: *Rochettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum, ac proinde ad ea administranda necessario superpelliceo utendum.* Quaeritur: An Episcopus possit aut debeat hanc veterem consuetudinem tolerare, quae quidem commodior est et universaliter viget in Dioecesi? » Resp.: *Negative.* His tamen non obstantibus die 27 Februarii 1847, in *Massen.* eadem S. Cong.tio, forte *ex specialibus rerum adiunctis in ea Dioecesi* vim magnam habentibus, quae talia non erant aliis in locis, rem *in statu quo* relinquendam putaverat. Sed, cum Decretum hoc peculiare sit, et aliis, iisque recentioribus, exceptionem faciens, non esse ad alios casus extendendum, privata auctoritate, *omnino* retinendum est. Illud integre referimus: « Superiori anno 1846 a S. Congreg. Reverendissimorum Patrum Sacri Concilii Tridentini Interpretum ad hanc Sacram Rituum Congregationem transmissae fuerunt preces Reverendissimi Massen. Episcopi, queis exponebat quod in Principatu Carrariensi mos vigeat ut Clerus universus, ne exceptis quidem parvulis Clericis, rochetto utatur (et hoc fortasse quia olim iurisdictioni Canonicorum Regularium Sancti Frigdiani subiectae erant Ecclesiae omnes Principatus ipsius), ac proinde huius Sanctae Apostolicae Sedis oraculum exquirebat: Num adhuc super hoc usu silentio insistendum sibi sit, ne turbas excitet, siquidem admodum antiqua consuetudo isthaec perhibetur; vel potius teneatur hunc usum tollere, deficiente privilegio? » Rescriptum autem fuit: « Non esse inquietandos ».

b) Tam superpelliceum quam rochettum, indui utrumlibet debet immediate super talarem vestem, vulgo subtanam. In casu autem quod, S. R. Congregatione permittente, una simul indui debeant, uti ab ipsa ratione et utriusque indumenti forma dictatur, cotta rochetto superimponenda est.

c) Quibus vero in functionitus superpelliceum et

rochettum deferenda sint modo videamus. Superpelliceum, aut, cui respective competit, rochettum, induendum est ante alia sacra paramenta in celebratione Missarum et solemnium aliorum officiorum, etiam a Ministris (de Episcopis et maioribus silemus, cum non videatur de eis inquirere casus). Superpelliceum semper adhibendum in administratione Sacramentorum et exercitio Sacramentalium, super rochettum, ut dictum est, pro ius habentibus. In aliis item occasionibus sacrorum munerum significativis, v. gr. in adoratione Ss. Sacramenti, in chorali assistentia, etc. rochettum solum nunquam defertur, nisi, ex S. Sedis explicita tolerantia, superpellicei vices teneat, ut dictum est supra (Quaes. II, in fine: Decr. in *Massen.*). Ad hoc Urbanus VIII Decretum edidit generale, quo *statuitur et declaratur nemini licere* inservire *aut* assistere *in celebratione Missarum aut divinorum officiorum cum Rochetto etc.* (Decr. Gen. Missali praepos.).

III. 1. « Num superpellicei et rochetti materia et forma, ex iure liturgico, sint praescriptae? »

Nulla positiva liturgica lex hoc super negotio lata est, neque ex Decreti Gen. diei 15 Maii 1819 silentio, super harum vestium materia, aliquid pro usibus minime legitimis arguendum; sed, origine harum vestium inspecta, et considerata vetusta traditione, generaliter in linteis omnibus ad Ecclesiae usum inservientibus observata, omni cum certitudine affirmare possumus, ipsa confici debere aut ex lino, aut ex cannabe, prout alba, quam repraesentant. Formam autem praeseferre debent decoram, ita ut earum longitudo haud nimis supra genu producatur, et manicas habere praelongas, usque ad manuum cum brachiis iuncturam; imo, iuxta Gavantum, esse debet superpelliceum « manicis ita oblongis, ut crispatae usque ad digitos summos pertingant... longe ducantur infra genua (Martinucci, *App. ad lib. IV*). Magis antiquitati respondebunt, si ante pectus discissa non sint. Illud insuper

observetur, ut cotta magis pateat, tam corporis amplitudine quam manicarum; quae vero rochetto superimponitur sit longitudine, etiam in manicis, brevior. Superpellicea absque manicis, ait Falise, ad Liturgiam non pertinent. At hic notandum est, bifariam dici posse superpelliceum esse sine manicis, aut nempe ita confectum est ut corpori adhereat, ea duabus scissuris loco manicarum apertis brachiis emittendis, aut rotunda prorsus forma, instar antiquae casulae, esto decurtatae mozettae instar, ita ut brachia quoque cooperiat, quae ad agendum sublevare fimbrias debeant. Quid de huiusmodi dicendum? Suntne vere, si antiliturgica, in sacris actibus prohibita? Rochettum potius, an cotta vocari possunt? Lex positiva iis contraria non extat; quinimo indirecte a summa auctoritate, saltem pro limitato usu, probantur. De primis ante loquamur. Profecto abusus videretur illis uti discoopertis, prout deferre nonnullos inservientes in aliqua Cathedrali ipsi vidimus, et in aliquibus Galliae Dioecesibus in sede confessionali in usu est; sed alio indumento tecta nolumus generaliter condemnare, quia legitimum putamus morem, v. gr. Beneficiariorum Basilicarum romanarum, qui, instar rochetti, sub cappa vel Pluviali eiusmodi gerunt indumentum. Alterius vero formae superpellicea in aliquibus adhuc retinentur Ecclesiis, inter quas Pernambucensis adnumeratur Cathedralis, nec abusive aut illegaliter, quia sequenti cohonestantur Decreto: « 2. An Canonici Assistentes Episcopo in Missa Pontificali debeant induere Albam, eo quod dictum Capitulum *adhuc utatur superpelliceis rotundis*, et non rochetto neque cotta, super quam innuit Caeremoniale Episcoporum induere Amictum et Dalmaticam? » Rescriptum fuit: « Ad 2. Canonici Assistentes Episcopo, non Albam sed rochettum vel cottam, *quoque modo vel forma ad regionis morem compacta illa sit et consuta*, induere debent una cum Amictu subtus Dalmaticam, vel aliud Chori peculiari

insigne (*Die 4 Septemb. 1745*, in Pernambucen.) ». Quid vero de aliquibus Episcopis ex Regularibus, qui commoditatis gratia, subtus paramenta cottam adhibent, abscissis manicis, ut supra? Eos, prout omni veneratione dignos, supponimus legitima munitos facultate, ac proinde nullimode nobis interloquendum. « Cavendum, ait cl. Martinucci *(lib. I, c. II, in nota)*, ne (superpelliceum) tum forma, tum etiam nimia elegantia indecens sit ». Huc pertinet aliquod textilis cottarum fimbrias adornantis genus, quod foeminarum potius levitati conveniret, quam sacrorum ministrorum gravitati. Oculis nostris quondam perspeximus, nonnullos adolescentes, acolythorum munere in quodam Oratorio fungentes, superpelliceo indutos, ornamentis circa collum, manicas et fimbrias phrygio opere super textili reticulato tum serico, tum aureo distincto; quid nimis hoc videtur; non in adstantium spiritualem aedificationem id conducit, verum in ipsorum admirationem, distractionem, et forte in Sacrorum contemptum.

2. « Quid de tanta in superpelliceis et rochettis, sub multiplici respectu, varietate iudicandum, ut in casu? »

Ex relatis doctrinis, et nostra, quam, submisse dicimus, rationabilem putamus, opinandi ratione, quod longitudinem et amplitudinem utriusque supradicti respicit indumenti, iam satis colligitur quomodo se gerendum. Alicubi optime Provinciales aut Dioecesanae Synodi, prout de aliis forte potioris momenti negotiis, ita et de re nostra sapientissimas condidere leges, quibus attendendum. Ubi vero lex positiva non extat, fiat ut novitatis et levitatis spiritus non irrepat, sive mensuras nimium ampliando, aut e contrario nimium coarctando, sive differentiam inter superpelliceum, rochettum et albam apprime retinendo. Quod autem in primis notandum est, illud solemne habeatur, ut sacrae vestes non reddant Ecclesiasticum ridiculum, ac histrionum more personatum, quod sane haberetur,

si, prout dicit casus, cotta tam *angusta* et *parva* fuerit, ut potius muliebris thorax, aut lorica, sive etiam infantile involucrum videretur. De materia utriusque vestis satis locuti sumus ; animadvertisse hic amplius placebit, neque in pueris aut aliis laicis officium Clericorum gerentibus esse toleranda superpellicea ex gossypio vel simili materia non linea, quia et ipsi ad Altare appropinquant, sacris inserviunt, veluti veri Ecclesiastici. Neque probanda eiusmodi materiae mixtura, quia, etsi oculi decipi possent, res tamen semper corrupta esset. Textile denticulatum haudquaquam vetitum est; sit tamen decentis altitudinis et ornatus, totum album, nec polymitum, ne in ornamentis quidem, sed maxime ex filo lini; nimis verum mussitandum non videretur si fuerit ex gossypio, aut serico albo, agitur enim hic de simplici additamento, exornandi causa, illi simillimo, quod in rem ipsam non influit. At evidens est, potiorem esse debere texturae quantitatem, seu longitudinem, quia secus nunquam diceretur indumentum esse ex debita materia compactum.

Superpellicea ansulis composita, *a maglia* italice vocata, quamvis ex lini filo elaborata, ut plurimum crispata imitantia, ex fere universali improbatione condemnantur; ceterum, ubi in usu sunt, si compacta ad textilis instar inveniantur, toleranda profecto erunt; cauto tamen ne nimis adhaerentia corpori sint, et ridiculae formae. Quae porro crispatae seu minimis et variegatis flexibus complicatae passim adhibentur, cum nullibi prohibeantur, nisi forte in aliquibus religiosis Sodalitatibus, legitime habentur. Ita et complicantur albae et rochetta, non modo a simplicibus Clericis et Sacerdotibus deferenda , sed et a Praesulibus nec non et ab ipso Romano Pontifice. Id autem confert seu ad sacrarum functionum solemnitatem, seu ad Ecclesiae, vel officii ecclesiastici, quod quis gerit, distinguendam dignitatem.

Tandem si rochettum et superpelliceum non

sint undequaque clausa circa collum, indifferens est, an globulis, sive uncis, sive vittis ad pectus vinciantur. Cum tamen vitta adhibetur, haec, de more, iuxta clericalem gravitatem, ornamenti genus efficere non debet, sed tantum necessitatis obiectum; unde tenuis, brevis, alba, lintea sit oportet. Si qua vero in regione, Dioecesi, Ecclesia mos invaluerit vittas a variis coloribus, etiam sericas vel auro mixtas apponere, quid iudicandum? De re agitur parvi momenti; haberi potest alicubi tamquam gradus distinguendi nota, praesertim in *clericulis*; usus admirationem abstulit... , non erunt inquietandi..., gaudeant talibus invectis. Si tamen possibile foret, sensim sine sensu, usum ad simpliciorem rationem componere, certe laudabilissime id fieret: quia, a recta, imo rectissima intentione praescindendo eorum qui talia agunt, nequit tamen dubitari, idipsum illius sapere vanitatis, quam in Ecclesiasticis praecipue vetat sacrosancta Tridentina Synodus.

DE MISSIS CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO

VI CAEREMONIALIS EPISCOPORUM.

(*Contin. V. n. 11 a. 1900, pag. 671*)

Solidius cl. Hermans argumentum quaerit (et iure, uti magis explicitum) in Instructione Clementina ac Decretis, postquam abs re Caeremoniale Episcoporum reiecit, ut Missarum statuat prohibitionem coram Sacramento exposito. Ex his documentis concludit, minime esse incertum Missae vetitum, ex regula generali, ad altare expositionis. Quod nihilominus vetitum haud ita absolutum dicit, ut admit-

tere aliquam exceptionem nequeat; idque, citra dubium, abstractione facta a Missis expositionis et repositionis. Eiusmodi autem exceptionem e pluribus Decretis infert. Dicit primum: « Non licere celebrari Missas in altari... exposito in eodem SS.mo Sacramento; stante praesertim, quod adsint alia altaria.... (**1406**) ». Ex eo patet, ideo **non licere**, quia nulla extat necessitas. Alterum dicit: « Non celebrari Missas in altari ubi est expositum SS. Sacramentum, nisi sit pro eo reponendo; et si ex necessitate fieri opus esset, etc. (**1421** *ad 5)* ». Ex hoc quoque patet **non licere** sine necessitate. Tertium sic sonat: « Consuetudinem (celebrandi Missae Sacrificium in eodem altari, in quo publicae fidelium venerationi est expositum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum) tanquam abusum eliminandam **(2765)** ». Necessitas autem excusat; ergo ex hoc quoque patet, **non licere** sine necessitate. Quartum supponit invaluisse morem in Dioecesi Cadurcensi celebrandi Missam solemnem in altari expositionis; et rogata S. R. C. an servanda foret eiusmodi consuetudo, an potius eliminanda, respondet: « Inhaerendum, quantum fieri potest, Instructioni Clementinae (**3049** *ad 4*) ». Verumtamen hoc quoque Decretum legem servandam praescribit; addit tamen, *quantum fieri potest*, quia aliqua saepe necessitas occurrit, quae a lege excuset. Ergo ex hoc etiam patet, **non licere** sine necessitate. Quintum Decretum eamdem rem praedicat dicens: « **Non licere** sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto **(3448** *ad 1*) ». Sextum Decretum facto probat quod in quinto dicitur, datque Indultum, seu gratiam dictam Missam coram Sacramento exposito canendi (1). Quod ergo ex gratia conceditur, sine ea

(1) Decretum istud postremo loco relatum e Collectione novissima exulavit: hoc recte affirmat cl. Hermans. Sed male dein affirmat, nisi bene intelligatur, idem Decretum adhuc valere.

fieri non potest, seclusa necessitate ; ergo iterum iure concludimus : **non licere** sine necessitate, in qua et gravis causa includi potest, Missam ad altare expositionis celebrare.

Post haec tangit cl. Hermans rationes necessitatis, sicut et gravis causae, pro qua intelligit grandem utilitatem ; et affert ad rem Gardellini locum, quo unum vel alterum casum adducit, eximentem a lege. At de utilitate, esto praegrandi, silet perfecte Gardellinius ; et notat tantum obligationem audiendi Sacrum in fidelibus , aut honorem Sacramento exposito debitum ; quorum si alterutrum haberi nequeat, Missam ad altare expositionis permittit. Sumus in necessitate aut in gravi causa, non in utilitate : ut hic quoque concludi queat, **non licere** sine necessitate, in qua et gravem causam iure complectimur.

Inde graviorem sibi proponit quaestionem cl. Hermans, num scilicet vi solius consuetudinis adprobari possit Missa ad altare expositionis : « si la seule coutume peut légitimer à présent la célébration de la Messe à l'autel, ou le Saint Sacrement est exposé *(pag. 459)* ». Tres, ut par est, ponit conditiones, quibus praedita, ut effectum pariat, esse debet consuetudo, ut sit nempe : immemorabilis vel longaeva, non aperte Rubricis opposita, laudabilis. Quibus positis, petit : « a-t-il une coutume légitime autorisant la célébration de la Messe à l'autel de l'exposition ? », car-

---

Valet quidem, sed pro particulari Ecclesia tantum, cui datum est, nullisque aliis, quibus imo illud agnoscere plane inutile est, nisi et damno sit. Indulta enim, privilegia, gratiae, quae uni Ecclesiae conceduntur, ad alias extendi nequeunt ; et propterea Decretum istud expunctum fuit, ne aliae Ecclesiae exemplum accipiant idem privilegium petendi. Ergo, conclusionem fateatur oportet cl. Hermans: Ecclesiis Galliarum, quae dicto privilegio non sunt ditatae, **non licet** Missam celebrare coram Sacramento exposito, equidem sine necessitate, ratione legis illam prohibentis.

pitque Ephemerides, quod negative responderunt. At animadvertat optimus Censor, casum ad resolvendum propositum eiusmodi fuisse naturae, ut consuetudinem immemorabilem vel longaevam nullo pacto tetigerit. Oculorum aciem exacuet cl. Hermans, dubiumque relegat solutori propositum, uti et responsionem exhibitam. Sed Ephemerides dixere : « devotio huiusmodi, seu celebrandi Missam ad altare expositionis, recens est ». Verum quidem, sed non totum ; et reminiscatur Censor, non tantum se posse comprobare mendacem, qui falsum asserit, sed etiam qui totam non patefacit veritatem. Quamquam absit a nobis, ut contradictorem velimus appellare mendacem. Devotionem igitur huiusmodi recentem diximus, sed *ex confessione Rev. inquirentis* seu proponentis Dubium ; nec sufficit, sed verba ipsa retulimus inquirentis « dévotion assurément nouvelle ». Hoc quidem non latebat Censorem bonum, quod locum Ephemeridum ad literam retulit paullo ante in Censura : quamvis Ephemeridum verba transcripserit, proponentis Dubium omiserit. At non solum prima, sed secunda quoque vice ea referre debuisset, ne in vacuum laboraret, idque confutaret, quod Ephemerides nequaquam sustinuere.

Resumit Censor : « A nôtre avis, ils se trompent en affirmant, *avec leur correspondant*, que c'est une dévotion nouvelle de célébrer ainsi la Messe à l'autel de l'exposition ». Rem perpendamus. Si nova dicenda non est eiusmodi devotio, sed antiqua, quibusnam in Galliarum Ecclesiis est eiusmodi? In omnibus? Nequaquam, imo nec in plurimis; quia *cette pratique a pris* **dans ces derniers temps** *une extension plus considérable*, fatetur idem Censor. Ergo antiqua est, esto immemorabilis vel saltem longaeva, in aliquibus, aut etiam in multis Galliarum Ecclesiis. Inter has autem enumeranda ne erit Ecclesia Rev. Inquirentis, aliaeque, quas innuit Dubium? Minime gentium ; relata

verba Censoris stulta forent. Aliunde faveas relegere Dubium, attente tamen, et nullo labore perspicies, ibi agi de modo sentiendi quamplurium dictae Missae faventium, de multis fidelibus eamdem postulantibus etc. Sed non de celebratione vigenti, de qua ne verbum quidem.

Nunc autem quid putat cl. Hermans, unius ne vel aliquarum Ecclesiarum consuetudinem, contra apertam legem, transire in alias, etsi eiusdem Nationis, iure merito posse? Si res ita se habet, negamus et vehementer negamus. Etenim Ecclesiae universae Rubricas et Decreta observare tenentur: ut si aliquae, uti ab initio saepe accidit, in usibus, qui invehuntur, illas negligant, reliquae ius non habeant sumendi exemplum. Consuetudo quarumdam Ecclesiarum ab Indulto derivat, quod plures ignorant aut etiam oblivioni traditur, sed consuetudo legitima ab omnibus perspicitur; ergone alii licebit Ecclesiae, quod illi licet? Episcopus aliquid prohibitum permittit alicui Ecclesiae Dioecesis suae ob aliquam necessitatem: ergo aliis Ecclesiis concessum censebitur? Ecclesia aliqua, in necessitate posita, aliquid operatur contra legem, siquidem quod non licet in lege, licitum facit necessitas; ergo id poterit ab illa et ab aliis Ecclesiis semper agi? Sed haec sunt immania, et nemo sanae mentis admittet: quod si admittantur, incommoda plurima nullo labore consequuntur. Hinc, ni fallimur, abusus plures, qui vigent in Galliis. Ex gr. Stola ex lege in solis Sacramentis et Sacramentalibus conficiendis et administrandis adhibenda, in aliisque paucis determinatis rerum adiunctis: unde est, quod Parochi stolam fere semper deferant, etiam, facete nobis Gallus retulit, dum eunt cubitum? Facultas asservandi Sacramenti, in Ecclesiis id iuris non habentibus, Sanctae Sedi reservatur, a qua eaedem Ecclesiae de more implorant: unde fit, ut Episcopi Galliarum hanc facultatem generatim concedant? Unde est quod in Belgio, et fortasse

etiam in Gallia De Herdt plorat, Presbyterum scilicet Assistentem multum invaluisse ad honorem Sacerdotum, qui id honoris habere prohibentur, de quo ait (*Pars 2, n. 4*): *Num autem id fiat per usum, vel abusum, meum non est decernere?* Certe principio, de quo diximus, admisso, haec consectaria vitari nequeunt; ut quae ex indulto vel ex necessitate aguntur, progressu temporis, in legem consuetudinis converti necesse sit. Quid tamen de iis, qui eiusmodi inordinationes propria agendi ratione pariunt, iudicandum, videat et iudicet optimus Hermans.

His omnibus perpensis, videat eximius Censor quanto iure Solutor Dubii loquutus fuerit cum Rev. Inquirenti respondit negative: ut non Ephemerides, sed, cum devotio *in casu* vere et realiter recens dicenda fuerit, ipse Censor gravem veritati iniuriam intulerit.

Prosequitur Censor Decretorum exemplis pluribus ostendere praefatam consuetudinem laude dignam, Rubricisque non oppositam. — Quod Rubricas attinet, super quibus cl. Censor ingenium venditat, secure proclamans, iis non opponi Missam coram Sacramento exposito, lectores nostros ipsumque Hermans remittimus ad ea, quae alio in numero exposuimus, quem ab initio citavimus. Quod vero Decreta pertinet, anteactae animadversiones hic iterum recurrunt. Et ante omnia notandum, consuetudinem contra apertam, nisi Rubricarum, quae nihilominus etiam perspicuae nobis apparent (*V. n. 11 a. 1900, pag. cit.*), profecto Decretorum legem, non laudabilis (1), sed *tolerabilis*,

(1) Conqueritur cl. Hermans, quod consuetudinem in casu laude dignam negaverimus ex verbis relatis De Herdt, quae ad alium casum applicavimus. Esto; sed propterea verba praefata alio momento munivimus. Ceterum Missacoram Sacramento exposito, ut passim fiat, ullaque sine aut restrictione aut difficultate, non possumus probare, et perperam Censor noster eam dicit

ad summum *permissa* dici potest, quatenus momenta **necessitatis** non permittunt eam aboleri.

Hoc, non aliud, sibi volunt verba Cavalieri ab Hermans relata; agit enim auctor de duplici superius allato casu: de obligatione audiendi Missam ac de uno tantum altari, quod expositionis est: et de consulendo honori Sacramenti, ne propemodum sine adoratoribus remaneat. Est ergo casus **necessitatis**. Hoc, nihilque aliud significant Decreta alia, quae Censor optimus refert: Ita illud in *Varsavien.*, super quo ipse Gardellinius notat. « In iis enim quae ad

---

dignam laudis. Namque *a)* quacumque de causa Sacramentum solemniter exponitur, semper ut adoretur exponitur. Tanti autem adoratio obiecti maximam mentis attentionis, cordisque praesentiam exigit: quibus profecto sacri ministri, Celebrans, caeremoniae, inferiorumque ministrorum actus nequaquam favent in Missa solemni, neque clericus, multoque minus laicus in Missa privata. Optat enim sancta mater Ecclesia, ut unice intendatur in Sacramentum, quod, cum solemniter habeatur in altari ad adorandum expositum, Missam, in qua pariter illud adoratur, ex lege impedit, seclusa semper necessitate. *b)* Expositio est actus maxime solemnis, et timendum ne frequentiori usu vilescat, ut capropter et facultas Episcopi requiratur. Admissa liceitate Missae coram Sacramento exposito, ulla sine restrictione et difficultate, uti ex simplici fidelium devotione, inconveniens magismagisque augetur et succrescit. *c)* Denique lex Decretorum, nisi et Caeremonialis Episcoporum, uti demonstravimus, certa est et explorata, quae ex sola aliqua necessitate, vel aliqua graviori peculiarique de causa, Missam sive solemnem sive privatam tolerat vel permittit coram exposito Sacramento. Arguendum ergo, iure merito sapienterque id fecisse Ecclesiam. Quomodo ergo cl. Hermans, et Rubricas negligens, et Decreta cavillans, oppositum sustinere audet? Est ne consuetudo eiusmodi Missae in sua Ecclesia? Secundum illam agat; sed alias relinquat in contraria, quin consuetudinem tolerabilem asportet in universum mundum.

disciplinam pertinent multam vim habet locorum consuetudo; et satius quandoque est aliquid **tolerare**, quod ab aliarum Ecclesiarum consuetudine dissentire videtur, quam ciere turbas, quae non sine magno detrimento, quandoque etiam ex bona causa excitantur *Suffr. atque Adnot. super Decretis, pag. 40, n. 5)*. Ceterum nonne Hermans ipse refert alia Gardellinii verba eamdem notam spectantia, ex quibus resultat, Sacrorum Rituum Tribunal affirmativam dedisse in casu responsionem, eo quod *vehementer timere poterat, ne turbae excitarentur, non sine scandalo et offensione populorum, si..... respondisset non licuisse* Missas ad altare espositionis?... Quid ergo? Nonne et hic casus est **necessitatis**? Hoc item, nihilque exprimit Decretum in *Nicaragua*, unde responsio: « Attenta consuetudine, tolerari posse ». Igitur et hic est casus **necessitatis**. Quadraret hic quod in Ecclesia quadam Italiae anteacta aetate accidit: cum nempe Episcopus, qui consuetudinem deferendi Imaginem Deiparae sub baldachino abolere, pro primaque vice ipsemet eam propriis manibus sine illo honore deferre voluisset, parum abfuit, ne lapidaretur a populo, ut processione vix inchoata fugere praecipitanter debuerit, seque occultare, quanto cleri dedecore lectores dicant. Eapropter Imago Deiparae iterum sub baldachino delata est, et fortasse defertur adhuc. Quid inde vero? Licitum ne est, etiam in illa Ecclesia, imaginem Deiparae sub baldachino deferre? Minime gentium: toleratur tamen, quia casus **necessitatis** est. Eiusmodi est casus noster: Missae ad Altare expositionis non licent, quia prohibitae; **tolerantur** tamen, aut ad summum **permittuntur** ob aliquam necessitatem.

Quando autem Missae a legitima auctoritate legislatoris peculiariter indulgentur, tunc tantum evadunt licitae; quia hoc in casu potestatem habens subditos a lege eximit. Sed quoadusque legislator reclamat contra legis inobser-

vantiam, nulla consuetudo licitum facere potest quod lege prohibetur ; sed ad summum tolerabile aut ex aliqua necessitate permissum. Habent ne hoc Indultum omnes, Galliarum Ecclesiae? Declaravit ne S. R. C. licitas has Missas coram Sacramento exposito pro omnibus Dioecesibus Galliarum? Negative; ergo non licita est consuetudo multoque minus *perfectement légitime*, sed ex aliqua necessitate tolerabilis: cui consequenter non licet se conformare. Quae ergo disserit optimus Hermans nulli sunt fundamento innixa, eo quinimo prorsus carent.

Tandem ultimum licet non integre, refertur Decretum a cl. Hermans, quod et nos referemus, sed per integrum. Episcopus Ventimilien., inter quinque, sequens Dubium IV S. R. Congregationi proposuit: « Quo populi pietati satisfiat, contingit aliquando ut Missa coram SS.mo Eucharistiae Sacramento exposito celebretur, ac post Missam benedictio cum eodem impertiatur: itemque ut in honorem Deiparae supplicatio fiat pluribus cereis accensis, atque interim divinum litetur Sacrificium. Quaeritur: Num huiusmodi functiones, quae ordinarie a Praeposito peraguntur, Rubricarum praescripto offendant? » Responsio est: « Negative si rite fiant *(18 Iul. 1894 n.* **3614** *(5916) ad IV)* ».

In hoc Decreto thesaurum se invenisse putat optimus Hermans, ut concludat: S. C. ceterum ipsamet formaliter declarat Missam factam coram SS.mo Sacramento exposito non esse Liturgiae praescriptionibus oppositam. Quod nos attinet, thesaurus iste speciosus est, nihilque amplius. Nam de pluribus agitur functionibus, quas inter est Missa coram Sacramento exposito, quae aliquando celebratur; et de huiusmodi functionibus postulatur S. C. num Rubricarum praescripto offendant; respondet autem negative Quid mirum? *a)* Nonne Rubricae hanc Missam moderantur, sicut alias functiones in casu? ergo, si rite dictae functiones fiant, praescripta Rubricarum non laeduntur: aliter

respondere nequibat Sacrum Tribunal. *b)* Missa haec est ne expositionis? Estne repositionis? Qualis sit tacet Dubium, sed alterutra, vel utraque esse potest: quo posito, Rubricarum praescripta, dummodo rite celebretur, non offenduntur. *c)* Si neutra sit ex duabus praefatis, sed ideo exponatur Sacramentum, ut Missa coram eo celebretur, iure dicimus iam illam ex consuetudine cohonestatam, quamvis de invecto usu Decretum sileat, uti tacet superius citatum in *Varsaviensi:* quo etiam in casu stat sapiens Tribunalis Responsio, nec aliquid valet proficere cl. Hermans. Ceterum verba illa **aliquando contingit** sufficienter innuunt inductam consuetudinem, ob quam S. R. C. respondere censuit, dictam Missam non offendere praescripta Rubricarum, si rite fiat.

Ultimo notandum, aliquam Missam, seu in hoc, seu in omnibus relatis Decretis, S. R. Cong.nem aliquando permittere aut tolerare. Hoc auctoritas publica: quid autem auctoritas privata cl. Hermans? Perpendas quae disserit, et nullo labore comperies, eum licitam dicere, ubi saltem est consuetudo, Missam in genere in omni Expositione, sive transeunte, ut ita eam appellemus, sive continuam, uti pro Oratione Quadraginta horarum, Missam sive solemnem sive privatam, quam in Expositione continua melius approbat, quam solemnem. Quid ergo erit altare Sacramenti, nisi altare quodcumque, in quo unicuique Sacerdotum licebit Missam pro lubito facere? Sed haec unus Hermans admittet.

Concludimus contra Censorem, dicta hucusque resumentes:

a) Rubrica Caeremonialis Episcoporum, Instructio Clementina Decretaque illis inhaerentia vetant Missam, excipiendis exceptis, sive solemnem sive privatam, ad altare Sacramenti solemniter expositi; ergo est **illicita**.

b) Indultum tantummodo eamdem Missam reddere potest **licitam**.

c) Consuetudo immemorabilis vel longaeva, sicuti alii, qui occurrere possunt, casus necessitatis, eam tantum facere possunt **tolerabilem** aut **permissam**.

d) Neque indultum, neque consuetudo, neque, et multo minus, alii casus necessitatis unius Ecclesiae transire possunt ad aliam Ecclesiam, etsi eiusdem Nationis aut cuiuscumque loci: ut dicta Missa ea de causa dici nequeat, aut **licita**, aut **tolerabilis** vel **permissa**.

e) Quod si indultum, vel consuetudo respexerit Nationem vel civitatem etc., tunc tantum omnes relativae Ecclesiae eam Missam habere poterunt **licitam** vel **tolerabilem** aut ad summum **permissam**.

AD ADM. REV. DOM. N.

IN SEMINARIO DIOECESANO MARIANNEN.

EPISTOLA RESPONSI

ADM REV. DNE

Principium indubie sequendum, quaestionem quod pertinet, quam exponis, hoc est: Missa debet esse conformis Officio duplici Ecclesiae vel Oratorii publici, in quo quisque celebrat, quicumque ipse sit (*Decr. Gen.* **Urbis et Orbis**, n. **3862**). Dicimus: *quicumque ipse sit*; quia Decreta vel Generalia, vel Generalibus aequivalentia, obligant universam Ecclesiam, et ipse summus Pontifex, esto ad exemplum, illa adimplet. Cappella, de qua in litteris ad nos missis verba facis, publica est; ergo universi Presbyteri in ea celebrantes Missam facere tenentur illius Officio conformem.

Haec certa sunt, nec de iis dubitatur, sed alia exurgit difficultas, quam proponis videlicet: quodnam esse de iure debeat Calendarium Cappellae, ut illius Officio respondentem Missam facere universi Sacerdotes debeant, qui in illa celebrant. En itaque aliud principium indubie, ad hoc quod pertinet, tenendum: Ecclesiae vel Oratoria publica, inter quae Cappella in casu recensenda est, pertinentia ad aliquam religiosam Familiam, sequi debent in Missa Calendarium eiusdem Familiae proprium, si habeat (**Urbis**, *num. 4051 ad II.*). Nunc autem eiusmodi praecise est Cappella, de qua agimus; et Familia religiosa, ad quam illa pertinet, proprio Calendario utitur. Ergo nullimode dubitandum est, Calendarium in dicta Cappella pro Missa sequendum illud esse debere, quo religiosa Familia utitur.

Equidem oppones, dictam Cappellam ad Seminarium pertinere, Seminarium pertinere ad Dioecesim, Dioecesim autem ad Episcopum. Qui ergo supponi potest, Episcopum in **sua Cappella** cogi ad Calendarium Communitatis sequendum, si in ea Missam celebrare velit? Episcopus in sua Ecclesia, est non in aliena; ergo.—Iusta et rationabilis difficultas, quae tamen sequenti modo solvenda est. Indubie ad Episcopum pertinet Dioecesis, ad Dioecesim Seminarium, ad Seminarium Cappella, in qua Episcopus in sua esset *per se*, non in aliena Ecclesia. At notandum est, ius proprium in alienum transire posse, si ille cui competit, alteri illud cedit; atque ita, et non aliter res se habet in casu, uti in aliis similibus. Ex. gr. parochiales Ecclesiae universae alicuius Dioecesis ad Episcopum iure merito spectant, quippe qui Parochus Parochorum est, in iisque celebrans relativus Episcopus est profecto in Ecclesiae sua, non in aliena. At pone ab Episcopo eam dari alicui Religiosae Familiae; et facile concedes, ius Episcopi in eiusdem Familiae ius transire, quod attinet, inquam, Calendarium sequendum.

Ratio est, quia Familia religiosa sequendi Calendarium suum, si proprio gaudeat, ius habet et onus; adeo ut Episcopus loci eam ab illo sequendo impedire nequeat, et eo ipso quo illi assignat eamdem parochialem Ecclesiam, iuri suo abdicare necessario censendum sit, et Ecclesia Familiae religiosae evadat propria. Quo posito, quod certum est, et discussioni nequaquam obnoxium, quid putas eveniret, si Episcopus in eam prorochialem Ecclesiam celebraturus accederet? Equidem Episcopi *per se* est eiusmodi Ecclesia, sive quia parochialis, sive in genere quia ad Dioecesim pertinet, et Dioecesis pertinet ad Episcopum. Sed hoc haud obstante, Episcopus celebrare tenetur, nequaquam profecto iuxta suum, sed iuxta Calendarium parochialis Ecclesiae, quod religiosae Familiae proprium est. Quare? Quia Ecclesia religiosae Familiae evasit propria, et Familia eadem non alienum, sed suum Calendarium sequi potest et debet: cui consequenter conformare debet ipsemet Episcopus Missam suam. Hoc comprobatur in universis Italiae et exteris Ecclesiis, totoque iure, ubi Ecclesiae plurimae extant, nec solum parochiales, sed etiam non parochiales, quae religiosis Familiis fuerunt concreditae, sive Romae ab Eminentissimo Vicario, sive extra a R.mis Episcopis locorum. Videmus enim in praxi, et E.mos Romae, neque Sanctitatis Suae Vicario excepto, et Episcopos omnes Ordinarios in dictis Ecclesiis, quodcumque aliud relinquere in casu Calendarium, ut earumdem Ecclesiarum proprium sequantur.

Nunc autem idem, prorsus idem, est casus noster de Cappella publica Seminarii. Ea certe ad Episcopum pertinet, quod Seminario sit adnexa, et Seminarium ad Dioecesim pertinet, haec autem ad Episcopum. At, nihilominus, sicut Seminarium concredidit Episcopus religiosae Familiae ad dirigendum, ad docendum, ad gubernandum; ita et Ecclesiam seu Cappellam publicam dedit adnexam, ut cultum

in illa exerceret ipsa eadem Familia. Cessit ergo iuri suo: adeo ut, quemadmodum Episcopus iure exigit ut leges latae in Seminario serventur, ita exigere quoque debet ut normae statutae serventur in Ecclesia. Sed norma est a S. R. Cong ne determinata et promulgata, ut religiosae Familiae in Ecclesiis sibi concreditis proprium, si habeant, relativum Calendarium servent ; ergo hoc, et non aliud servari potest ac debet.

Id autem servari debet ab omnibus celebrantibus, quia unum tantummodo Calendarium haberi debet in Ecclesiis aut Cappellis publicis: sive illi sint ex Clero dioecesano, saeculari vel regulari , sive ex alterius Dioecesis , Clero, sive sit ipse Episcopus. Ratio enim uniformitatis exigit, ut eadem dicatur Missa in eadem Ecclesia , idemque Episcopus legi se conformet ; quia illa Ecclesia , quamvis de iure sua, de facto ad Communitatem pertinet, cui ab ipsomet Episcopo fuit pro cultu exercendo tradita.

Neque obiicias, aliis quoque Parochis et Rectoribus Episcopum tradere pro cultu exercendo Ecclesias , in quibus tamen Ipse suum Calendarium sequitur, cum eiusmodi ratio omni vi destituatur. Namque ideo Episcopus in dictis Ecclesiis potest ac debet Missam suo Calendario conformare, quia earumdem Ecclesiarum Rectores et Parochi tenentur sequi Calendarium Dioecesis, quod idem est atque illud Episcopi. At Communitas Religiosa proprio Calendario fruens, aliud Dioecesis nec debet sequi nec potest, proindeque neque illud idem sequi debet aut potest Episcopus.

At addis in tuis litteris, nobiscum sunt Sacerdotes aliqui coadiutores nostri, qui nobiscum laborant in alumnis educandis docendisque. — Sed et ad eos quod pertinet , non est dubium, Missam eorum cum Calendario Cappellae convenire debere ; quamvis enim in Seminario ipsi degant, ad ipsos illud non pertinet : ut proinde Cap-

pella uti aliena pro illis habenda sit. Et sane ex tribus unum, quod et pro Episcopo valet: aut solum Calendarium Dioecesis sequendum est ab omnibus, aut aliud a Religiosa Familia, aliud a Clero Dioecesis: aut denique Calendarium Religiosae Familiae ab omnibus est sequendum. Atqui nec primum admitti potest, nec alterum. Non primum, quia Presbyteri universi dictae Religiosae Familiae, ubicumque degant, Calendario Cleri saecularis Urbis **in omnibus se omnino conformare debent,** ex Sanctae Sedis dispositione, sive quoad Officium sive quoad Missam, quae cum illo convenire debet, nisi in aliena Ecclesia celebrent. Non alterum; quia Gen. Decretum (3862) id absolute prohibet, oppositumque mandat. Tertium ergo manet exequendum, etiam pro dictis Presbyteris, ut leges Ecclesiae serventur, cultus decor non minuatur, sed augeatur.

Subsumes fortasse, Ecclesiam seu Cappellam, de qua in casu, esse Episcopi. Sed difficultati propositae iam fecimus satis: haec nihilominus addimus. Nonne Episcopo loci competit Ecclesias Dioecesis ad cultus exercitium bonumque animarum assignare et concredere aliis, prouti melius, utiliusque in Domino iudicat? Quid autem, si assignata et concredita aliqua Ecclesia Religiosae alicui Familiae, proprio Calendario utenti, lex ipso Episcopo superior decernat, hoc et non aliud esse pro Missa in eadem Ecclesia sequendum? Atqui en lex ista, qua nulla explicitior esse potest: « In Ecclesiis alicui Religiosae Familiae concreditis, Sacerdotes exteri *(qui scilicet de gremio Ecclesiae non sunt)* in illis celebrantes **tenentur** ne sequi Calendarium eiusdem Familiae proprium, si habeatur? » Responsum autem est: « Affirmative (*Urbis, 15 Dec. 1899, num. 4051, ad II*) ». Non ergo ab hac lege eximuntur Sacerdotes praedicti adlaborantes, non eximitur ipse Episcopus, sicut non eximuntur E.mi Cardinales; omnes enim, uti exteri, in eiusmodi Ecclesiis

habentur, ad hoc quod pertinet, ut finis uniformitatis obtineatur, quem lex generalis intendit.

Haec pro Epistola satis superque sunt, ut reliqua, quae dici possent, sileam.

Salutem plurimam tibi et Sodalibus cunctis ex intimo corde dicit

Addictiss. etc.
C. Mancini P. C. M.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Sancto Michaele.* **De colore rosaceo** *(Caer. Ep. II, Cap. XIII, n. 11, et Cap. XX, n. 2: Ephem. Lit. 1900 p. 355). Quaeritur*: Utrum ita intelligenda sit praescriptio Caeremonialis, ut color rosaceus sit praeceptus (dummodo tamen habeatur), aut licitus, *tantummodo* pro Missa solemni cum ministris sacris, ut multi volunt, an *etiam* pro Missis omnibus privatis, Dom. 3. Adv. et 4. Quadrag.? — Et, quatenus *affirmative* ad primum, utrum saltem sit licitus in Missa principali piarum Communitatum, Collegiorum, Conservatoriorum et Sodalitatum, quae praesefert solemnitatem quamdam extrinsecam?

Intactam reliquit hanc quaestionem solutor casus in Ephem. a. 1900 p. 355, licet generaliter prorsus videatur loqui, nec ad solam Missam solemnem facultatem coarctare.

Resp. Plura quaeruntur in Dubio, quod proponitur: *a)* Num sit praeceptivus color rosaceus. *b)* Num sit licitus pro Missa conventuali. *c)* Num etiam licitus sit pro aliis Missis. *d)* Num licitus sit saltem pro Missis, quae principales vel instar conventualis dici possunt, uti pro Missa parochiali, Communitatum Regularium, Collegiorum, Con-

servatoriorum, Sodalitatum, quae aliquam praeseferunt solemnitatem.

a) Praeceptum hac in re ex solo Codice Caeremonialis haberi potest, Missale enim silet. Atqui de praecepto eo in Codice non satis constat, sed potius constat oppositum; ergo color rosaceus non est praeceptivus. Quid enim de rosaceo colore Caeremoniale Episcoporum? Hoc tantum habet: « In tertia Dominica *(Adventus)*.... paramenta... adhiberi solent aliquanto sumptuosiora, sed coloris violacei, **in defectu rosacei** (*Lib II, cap. 13, n. 11*). » Nil novi, sed ad eadem appellat verba idem Caeremoniale, Cap. 20, ubi de 4. Dominicae Quadragesimae colore loquitur. Iam nunc dicta verba, non rosaceum adhibendum ex usu colorem dicunt, sed violaceum, nisi rosaceus, qui et adhiberi consequenter potest, habeatur. Porro eiusmodi ratio se exprimendi Codicis nullum certe, nec a longe, praeceptum significare valent. Ceterum verba *in defectu rosacei* possunt etiam significare, Rubricam violaceum praescribere colorem, quia non tam facile Ecclesiae, praeter hunc, illum etiam habere possunt: hoc autem, uti patet, nullo pacto significat praeceptum coloris rosacei, sed potius dispensationem ab eo, cuius loco violaceum adhibendum Rubrica docet.

Praeterea quinque sunt colores in Sacris adhibendi, iuxta Missale Romanum, in Ecclesia Romana, et inter eos rosaceus non reperitur; ergo illi, relativis quidem temporibus, praeceptivi sunt, non iste. Ad rem Tetamus: « Rubrica Missalis (*Tit. 18, de colorib. parament. n. 5*), ubi de colore violaceo, praescribens colorem violaceum in Adventu, hanc Dominicam tertiam non excipit. Similiter colorem eumdem assignans tempori quadragesimali, inter exemptas ibi dies functionesque sacras non adscribit Dominicam quartam, nec Missam illius (*Ann. ecclesiast. Not. in Adv. Cap. III, art. 3, Sect. II*) ». Idem Tetamus

refert Merati verba, quae ne dictum quidem rosaceum colorem nominant: « Dominica 4 Quadragesimae pulsantur organa, et in Missa solemni ministri sacri utuntur Dalmatica et Tunicella coloris violacei (*loc. cit.*). » Hinc docet eumdem Meratum non esse audiendum quando tradit ex Vinitore et Caeremoniali Episc. in dictis Dominicis paramenta **esse oportere coloris rosacei** (*loc. cit.*. Catalanus quoque in hisce verbis Codicis non agnoscit praeceptum, sed tantum *permissionem*, uti mox videbimus. Eapropter iure merito praelaudatus Tetamus concludit: « Quapropter Caeremoniale Episcoporum posse intelligi puto de violaceo colore clariori et quodammodo tendente ad rubrum: ad cuius differentiam in fine paragraphi monet, ornamenta Dominicae IV., si incidat in Vigiliam Nativitatis, esse debere coloris absolute violacei (*loc. cit.*). » Porro in tam parva differentia praeceptum supponere absurdum foret. Sive ergo dictum rosaceum colorem Ecclesiae habeant, sive non, ille, ut violaceus excludi debeat, tamquam de praecepto dicendus non est.

b) Reponimus affirmative, hoc est: color rosaceus licitus est in Missa conventuali. Namque dicens Rubrica, violaceum adhibendum in defectu rosacei, manifeste indicat, hunc ad minus esse non prohibitum, sed permissum; nec quidem uti rem tolerabilem, sed uti magis tempori convenientem, ut aliqualis significetur eiusdem temporis laetitia, ac proinde licitus toto iure dicendus. Hinc Catalanus, loquens de Vigilia Nativitatis incidente in Dominicam tertiam Adventus, notat: « Diaconus et Subdiaconus utuntur Dalmatica et Tunicella, quae etiam debent esse sicut et cetera paramenta coloris absolute violacei », non scilicet in defectu coloris rosacei, *qui solum permittitur* in Dominica tertia Adventus, etc. (*Lib. II, § XIII, n. II*). » Porro qualis est Codex de eo colore loquens? Nonne Caeremoniale Episcoporum? Iam nunc explicite in

eo verba fiunt de paramentis, non solum altaris, sed etiam de Celebrantis et ministrorum, uti videre est. Ergo manifeste loquitur Codex de Missa conventuali, in qua proinde, omnem praeter controversiam, color rosaceus est licitus.

c) Respondemus pariter affirmative. Nam unus in eodem die, generaliter, adhibendus color in eadem Ecclesia, maxime diebus, qui solemniores dici possunt, licet non tam ratione festi, quam ratione temporis, uti Dominicae 3 Adventus et 4 Quadragesimae. Si ergo dictus color, prouti vidimus, licite adhiberi potest pro Missa Conventuali, indubie concludendum est, licite quoque eo uti posse pro omnibus aliis Missis, quae in eadem dicuntur Ecclesia. Arroges, rosaceum colorem permissum dicimus, proindeque licitum, quatenus magis laetitiae temporis convenientem; ergo non solum licitus iure dici potest, sicuti pro Conventuali, ita et pro aliis Missis, sed etiam magis licitus, quam ipse violaceus.

Martinucci quidem docet: « In tertia Dominica, quae dicitur *Gaudete*, ad Missam solemnem **tantum**, ut praescribit Caeremoniale Episcoporum Lib. II, Cap. II, n. 2, adhibebitur color rosaceus *(Lib. IV, Cap. 1, n. 5)* ». Quo nihilominus iure id asserere valeat, prorsus nescimus. Verbum illud **tantum** ex arbitrio indubie ponit, cum Caeremoniale illud prorsus sileat, eiusque verba superius retulimus: ut ea de sola solemni Missa intendere, nec textus nec ratio suadeat. Obiter autem nota, locum citatianis, ex errore certe typographico, esse mendosum, cum sit quidem Codicis Liber II. sed caput 13, n. 11.

At notes velim, coloris violacei plures esse gradus, adeo ut rosaceus nonnisi violaceus sit ad rubrum tendens, uti Tetamus animadvertit. Hinc, sicuti in eadem Ecclesia Casulae coloris violacei, diversi tamen gradus, adhiberi possunt, ita et rosaceus pro violaceo, et violaceus pro illo. Casus

fortasse excipiendus, quo rosaceus adeo vividus esset, ut vere in rubeum converteretur. Ceterum Rectores Ecclesiarum provideant, ne, si quidem fieri possit, nimia difformitas appareat.

d) Vix oportet, positis dictis, ad praesens Dubium respondere. Si enim rosaceus color licitus dicendus est, non solum pro Conventuali, sed etiam pro omnibus aliis etsi stricte privatis, a fortiori licite adhiberi potest pro Missis principalibus locorum, de quibus agit Dubium propositum. Huic ceterum affirmativae responsioni favent ea omnia, quae pro responsione ad superius Dubium exposita sunt.

II. *Ex cod. loco.* **De titularibus.** In domo religiosa ubi habetur Ecclesia publica consecrata aut solemniter benedicta, et simul intra domum, puta in valetudinario, plura Oratoria semi-publica, debent ne omnes Sacerdotes domus in Suffragiis commemorationem facere de Titulari Ecclesiae, et pariter omnes celebrantes sive in Ecclesia, sive in Oratoriis interioribus domus, debent ne Titularem nominare in Oratione *A cunctis?*

Quid si unum e Sacellis interioribus, ut hic est sacellum *Novitiatus,* fuerit selemniter benedictum?

Nullus e Sacerdotibus domus, ne magister quidem novitiorum, nec sacerdotes novitii, nec socius magistri novitiorum, videntur teneri ad faciendam commemorationem Titularis Sacelli inter Suffragia. Siquidem nullo titulo canonico addicuntur servitio huius Sacelli.

E contra debent omnes celebrantes in isto Sacello nominare, in Oratione *A cunctis,* Sanctum Sacelli patronum. De hoc omnes conveniunt. At non constat, utrum insuper debeant Titularem Ecclesiae nominare. Negandum videtur, an recte?

Resp. Quod spectat commemorationem Titularis, in Officio, pro omnibus Sacerdotibus, ad domum religiosam

pertinentibus, nulla quaestio institui potest. Ipsorum enim est Ecclesia eidem adnexa domuí; ergo omnes, citra dubium, ad dictum suffragium agendum omnino tenentur. Cum capropter res omnino certa sit, ad commemorationem in Missa gradum facimus. Verum, quod illam pertinet, quae agenda est in Missa, quae dicitur in Ecclesia, nullam et ipsa discussionem patitur: de illa ergo dicemus, quae in Missa facienda est, quando in privato Oratorio celebratur.

Alibi diximus, Oratoria privata (1) Communitatum, si quae sint, exigere commemorationem, in Missa, de Sancto Titulari Ecclesiae, quae domui religiosae, Conventui, Collegio etc. adnexa est. Quia, dicta Oratoria considerantur quasi extensio Ecclesiae principalis, quae debet esse vel consecrata, vel solmniter saltem benedicta: quamvis quod colorem attinet, is respondere possit Officio celebrantis. Adeo ut Titularis Ecclesiae, veluti ex natura sua, sit quoque vel censeatur Titularis omnium Oratoriorum, quae interius sunt in religiosa domo, cui Ecclesia adnexa est. Consequenter in Oratione *A cunctis* Titularem Ecclesiae nominare debent ad litteram N. omnes Sacerdotes praefatae domus.

Haec quidem adeo certa sunt, ut de iis dubitari non debeat. Sed quaestio peculiaris suboriri potest, circa Oratorium aliquod internum alicuius domus religiosae, uti accidit iuxta casum exhibitum, in quo habetur Oratorium seu Sacellum Novitiorum, quod est solemniter benedictum. Dubitatur igitur, utrum Sacerdotes tyrones, atque ipse tyronum Moderator vel eius vices gerens teneantur ad commemorationem Titularis dicti Sacelli. Reponimus:

(1) Dicimus Oratoria *privata*, quia vere sunt eiusmodi, iis spectatis, quae essentialiter dicta constituunt. Non sunt autem publica vel semi-publica, nisi privilegiis consideratis, quibus fruuntur. Excipe, nisi aliquod sit solemniter saltem benedictum.

a) Quod attinet Officium, neminem credimus ad dictam commemorationem teneri; quia, quamvis dictum Sacellum destinatum fuerit pro tyronibus, non tamen ii eidem sunt adscripti. Quod autem dicimus de tyronibus, valet et pro Moderatoribus Tyrocinii. Sed e contra omnes ad Communitatem pertinentes adscripti sunt, vel censentur adscripti uni Ecclesiae, quae Instituti est propria. Et certe non credimus, ullum extare de praefata inscriptione documentum canonicum, uti in comperto est. Habetur ergo Oratorium solemniter benedictum, de quo, ex defectu cleri illi adscripto, nemo tenetur Officium agere, imo neque commemorationem in suffragiis, quod consequens est. Arroges, Regulares in casu teneri ad Calendarium Ordinis, ex quo aliud Officium facere non permittuntur: nisi pro aliquo ex Confratribus fieri possit exceptio ratione institutionis canonicae ad aliquam ex. gr. parochialem Ecclesiam.

b) Quid vero dicendum circa festum Titularis die sua, excluso tamen Officio? Responsio facilis; nempe: celebrabitur per solas Missas, iuxta Rubricas, uti praedicat Decretum 4025, IV.

c) Quoad nominationem Titularis Sacelli ad Orationem *A cunctis* in Missis inibi celebrandis, non est dubitandum. Quia omnes celebrantes, sint vel non alicui Ecclesiae aut Oratorio, solemniter saltem benedicto, adscripti, eo ipso quod Missam in eo agunt, ad litteram N. tenentur nominare illius Titularem. Ergo ad id quoque tenentur omnes, qui in dicto Sacello celebrant, est enim solemniter benedictum.

III. *E Neapoli.* **De quatuor anniversariis late sumptis.** Iuxta novum ius (Decr. gen. 2 Dec. 1891, n. 3753) licet in duplici minori celebrari anniversaria, quae *pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent.* Porro ex vi Const. Nostri Ordinis, intra annum celebrantur quatuor

anniversaria. **Primum**, post oct. Epiphaniae, pro Religiosis nostris hinc ab anno in Domino defunctis. **Alterum**, post Dom. 1 Quadr. pro animabus parentum nostrorum. **Tertium**, die 2 Novemb. pro omnibus fidelibus defunctis. **Quartum**, die 14 Novemb. solemnis commemoratio pro omnibus Religiosis et Benefactoribus Congregationis Nostrae in Domino defunctis, et hoc ultimum ex privilegio iam a multo tempore celebratur in duplici minori.

His praemissis quaeritur: ex novo iure liceatne primum anniversarium, nempe post octavam Epiph. et secundum post Dom. 1. Quadr. ut supra celebrari in duplici minori, non obstantibus verbis Decreti: pro *Confratribus defunctis* (anniv. enim secundum pro parentibus) et **semel in anno** (et nos habemus quatuor in anno licet unumquodque semel in anno).

2) Anniversarium secundum, nempe post Dom. I. Quadr. pro animabus parentum, idest anniversarium Ordinis, saepe in uno monasterio occurrit cum anniversario affixo diei 10 Martii pro anima fundatoris seu benefactoris monasterii. Cum vero utrumque, iuxta nostram consuetudinem, non possit simul celebrari, quaeritur, quodnam ex duobus celebrandum, et quodnam transferendum, ac in casu translationis quomodo officium et missa tam solemnis quam privatae ordinandae sint?

Resp. a) Quod primum attinet, affirmative respondendum prima fronte videtur. Ratio est, quia verba Decreti apprime comprobantur, nempe: *semel in anno, et pro Confratribus defunctis*. Opponi fortasse posset, pro iisdem Confratribus defunctis intelligi non solum defunctos in anno, sed omnes Confratres, defunctos etiam transactis temporibus. Id esse posse non negabimus; sed semper verum maneret, dictum anniversarium esse pro defunctis Confratribus, fierique semel in anno. Cumque de suffragiis agatur in levamen animarum, quae piacularibus flammis sunt addictae, non

censemus adeo est posse severos, ut iis etiam et tantum applicari non possint verba Decreti.

Arroges verba praefata latiorem pati sensum, propter quamdam universalitatem, quam significant: « Permittitur, ut in duplicibus min. celebrari quoque possint **anniversaria**... quae a Religiosis Communitatibus... **pro Confratribus defunctis** semel in anno **fieri solent** ». Nunc autem dicta anniversaria nonne eiusmodi sunt? Nonne pro Confratribus defunctis celebrantur? Nonne fiunt semel in anno? Nonne fieri solent? Ergo et hoc quoque, de quo inquiritur, in duplici minori permittendum videtur.

Re vero penitius considerata negativum cogimur responsum dare. Unica simplexque ratio est, quia anniversarium istud dicitur *recoli pro Religiosis* **hincab anno**, *in Domino defunctis*. Ergo vocatur quidem anniversarium, sed non est eiusmodi. Nam anniversarium, sit stricte, sit late sumptum, supponitur semper fieri in anno diverso ab illo, in quo obitus accidit, nunquam vero eodem in obitus anno. Adeo ut si qui moriuntur etiam in mense Ianuario, hinc ab anno decedunt: alii decedere potuerunt in mense Decembri, Novembri, etc. Iam nunc, ubi annus expletus vel saltem quasi expletus ab obitu, ut anniversarium late saltem acceptus dici queat? Cum ergo de anniversario non agatur, dicendum est, ipsum non esse contentum in antiquo, sed neque in novo iure permissum.

b) Ad hoc autem arbitramur affirmative responderi posse. Nam agitur hic de *annicersario*, quod fit *semel in anno*, celebratur a *Religiosa Communitate*, prout in Decreto. Equidem non fit pro Confratribus defunctis, sed pro eorumdem parentibus, at cum a *Communitate et semel in anno* fiat, videtur extendi per epicheiam posse privilegium. Quia parentes maximam ad Confratres relationem dicunt, qui cum illis **strictiori** vinculo sanguinis coniuncti fuerant, imo et spiritali vinculo ratione bono-

rum spiritalium, quorum Religiosorum parentes fuerunt participes. Adeo ut, si corpore alii ab aliis separati fuerunt dum viverent, naturae vinculum utrosque coniungeret, et quid unum efficeret. Qua intima, naturali ac supernaturali coniunctione inspecta, non videtur esse nobis contra spiritum, fortasse neque contra litteram Decreti, si dictum anniversarium fiat. Addas etiam in casu comprobari alia verba Decreti, hoc est **fieri solent**: adeo ut, sicuti licite iam fiebat in semiduplici, nunc dictum anniversarium fiat privilegii recentioris particeps, et in duplici celebrari possit.

c) Tertium celebratur pro omnibus in genere defunctis, et consequenter non videtur in privilegio Decreti contineri. Verumtamen ea die praeceptum est, ut omnes Missae, Conventuali excepta, quae officio occurrenti respondere debet, sint de requie. Quid ergo prohibet, ut Missa de requie cantetur? Nihil, sed ea, dices, recitanda est ut in primo loco, ergo de anniversario esse non potest. Responderi potest: *in genere*, concedimus; *in specie*, negamus. Nam sicut licet, iuxta Decretum in *Lisbonen.* n. **893** (1554) ad 4, Missa cantata de die obitus, praesente cadavere, quin lex praefata violetur, nescimus qua de causa licere non possit Missa cantata, anniversario occurrente, eo vel magis quod non est pro hac vel illa persona, sed pro omnibus fidelibus defunctis. Si ergo praescindas ab Oratione diei propria de requie, finis Rubricae, Ecclesiaeque spiritus aeque perfecte obtinentur. Aliunde nullum novimus Decretum, huiusmodi anniversarium dicta die prohibens.

d) De quarto anniversario non est discutiendum, cum de eo explicite loquatur illudque peculiariter Decretum spectet: adeo ut, abstrahentes etiam a privilegio et a consuetudine illud ab anteacta aetate celebrandi, de quibus silebimus, certum est posse, nunc saltem, in duplici minori celebrari.

Nostra itaque sentiendi ratio est circa dicta anniver-

saria laudabilem consuetudinem retineri posse, excepto primo. Neque obstat, ea esse plures; quia Decretum non dicit debere esse tantum unum, sed, uti superius animadvertimus, concessionis verba generalia sunt, hinc ipsum privilegium latam patitur interpretationem, dummodo comprobetur, non fieri pluries pro eadem Communitate et in eorumdem defunctorum Confratrum suffragium.

2. Cum duo anniversaria in eandem diem incidunt, et utrumque eadem die fieri nequit ex ratione non liturgica, ut in casu, transferri posse iusta de causa impeditum, certum est; sed non item certum est, an in duplici, an in semiduplici tantum reponi possit. Ex Decretis constat, et maxime ex Decreto Gen. ab initio citato (n. II), anniversarium die sua impeditum posse vel anticipari vel transferri in primam diem liberam. Sed impedimentum, de quo Decreta, non potest supponi nisi liturgicum, quod in ritu occurrente consistit; quia ad alterius generis impedimenta non possunt rationem habere Decreta, illa enim ab extraneis causis, et etiam quandoque ab arbitrio dependent. Id communiter docent periti. Si ergo anniversarium, de quo agitur, liturgice impediatur, anticipari vel transferri posse in duplicem minorem credimus, quia in tali occurrente ritu permissum erat. Cum autem hoc anniversarium, licet late sumptum, a S. R. C. approbetur, non dubitamus participare illud posse de anniversarii stricte sumpti privilegio. Si vero ex alia causa impediatur, transferri quidem, sine dubio, vel etiam anticipari potest, at non in duplici, sed tantum in semiduplici, quo occurrente, Missae privatae de requie permittuntur.

Utrum autem ex duobus anniversariis transferri debeat, si simul una die statuta fuerint, Decreta, ni fallimur, silent, vel saltem nullum in promptu habemus Decretum, id definiens. Sed arbitramur in casu uti unumquemque posse recto sensu, vi cuius illud transferri possit, quod mi-

noris est gravitatis, vel quod eiusmodi reputatur, aliud vero celebrari, quod maiorem praesefert gravitatem.

Denique, facta translatione liturgica anniversarii, nihil mutatur seu in Officio seu in Missa; si vero translatio non sit liturgica, uti anniversarium considerari amplius non debet, adeo ut Officium faciendum sit sub ritu semiduplici, et Missa canenda ut in quotidianis.

IV. *E Curenna.* **De iuribus Contitularis incerti.** Extat hic Sacellum, quod vulgo nuncupatur a S. Lucia, cuius festum agitur die 13 Decembris. Certum est tamen Sacellum dicatum esse Deo in honorem Ss. Apostolorum Philippi et Iacobi, uti ex imagine et inscriptione constat, et in qua ne verbum quidem de S. Lucia. Huius tamen imago apparet in picta maiori tabula altaris. De Ss. dictis Apostolis non fit amplius festum die 1. Maii, quamvis canantur Missa et Vesperae; sed festum recolitur, magno populi concursu de S. Lucia die 13 Decembris. Quaeritur: 1. Die 13 Dec. omitti ne debet com. octavae Imm. Deiparae Conceptionis? 2. Si negative, occurrente S. Lucia in Dom. 3ª Adventus, potestne de S. Lucia cantari Missa, quavis commemoratione exclusa? 3. In Oratione *A cunctis*, quando dicenda est, anteponendus ne S. Philippus, ut in nostro Missali habet Oratio, an ordo Litaniarum sequendus, in quo S. Iacobus anteponitur? 4. Addendum ne nomen S. Luciae? 5. Si dies 1. Maii incidat in secundam feriam Rogationum, et iuxta consuetudinem ad dictum Sacellum S. Luciae fit processio ac Missa canitur, haec Missa esse ne debet de Ss. Apostolis et com. Rogationum sub unica conclusione?

Resp. Praemittimus, Ss. Apostolos Philippum et Iacobum certe, in casu, constituere Titulum dicti Sacelli; et constat seu ex imagine, seu ex inscriptione, seu ex aliis codicibus, de hoc proinde festum agendum est, uti agitur die 1. Maii cum Missa et Vesperis, supposita tamen illius vel consecratione

vel solemni saltem benedictione Ritualis. Quod attinet S. Luciam incerta res est. Probabilius solum, ab initio, efformabant Titulum Ss. Apostoli, sed postea addita fuit S. Lucia; inscriptio enim agit de instauratione, non de fabricatione Sacelli, in eaque imagini Ss. Apostolorum addita quoque fuit altera S. Luciae imago. In instauratione autem antiqui servata est tantum atque immutata inscriptio Tituli, de quo et agebatur festum die 1. Maii, prouti ius exigebat, uti adm. Rev. consulens notat; et nil de S. Lucia inscriptum fuit, quia fortasse eius imago addita est ad populari devotioni indulgendum, sed non ut Titulum quoque constitueret, saltem aeque principalem: secus illius nomen in instaurando Sacello non fuisset omissum. Vel etiam supponi potest, ab initio fuisse depictam S. Luciae imaginem, quin tamen considerata fuerit ut principalis Sacelli Titulus. Hoc tantum ex nobis expositis arguere licet. Quibus positis, en ad singula proposita Dubia responsio, quam exhibere possumus:

Ad 1. Cum non constet, S. Luciam esse Titularem, aeque saltem principalem, immo potius verius constet oppositum, de ea festum agi tantum potest ut in Calendario universali, vel locali si differat. Hinc, si eius ritus sit inferius duplici II classis, com. Imm. Conceptionis omittenda non est.

Ad 2. Occurrente S. Lucia in Dominica 3. Adventus, de hac, non de illa agendum est, cum trina dictae santae commemoratione si sit dup. minus, vel sine illa, si ritus sit superior ut transferri debeat. Missa autem de S. Lucia, attento populi concursu, cantari potest, cum commemoratione Dominicae, quippe quae numquam omittitur. Haec porro Missa est de festo transferendo, vel omittendo, et est festiva ac votiva, respondetque illi, quam Missale in casu permittit in Rubrica Tit. VI.

Ad 3. Oratio Ss. Philippi et Iacobi dicenda est ut in

Missali. Equidem in Litaniis habetur S. Philippus post S. Iacobum, immo etiam in Canone Missae; at, quod hunc spectat, scribit A Carpo « S. Iacobum ibi posteriore loco commemorari (*Adn. in fest. Maii, II*), »: de quo tamen nullum documentum affert. Litaniae fortasse ordinem mortis tenent, cum Iacobus Hierosolymis primus omnium Apostolorum martyrium fecerit. Verum ex omnibus diversisque Martyrologiis, quae ab Adone referuntur, et hos duos Apostolos simul commemorant, nullum est quod Iacobum ante Philippum nominet. Utut res se habeat, sicuti Orationes liturgicae uti prostant recitandae sunt, ita eorum formulae mutari non debent. Consequenter, quando ab Oratione liturgica haec formula desumitur, ut Ss. Apostoli Philippus et Iacobus nominentur in Oratione *A cunctis*, primo Philippus, postea Iacobus nominandus est.

Ad 4. Nomen S. Luciae, cum non constet eam esse Titularem, aeque saltem principalem, non est addendum in Oratione *A cunctis*.

Ad 5. Respondemus cum verbis Decreti in *Limburgen.* num. **2942** (5082), definientis: « Iuxta alias Decreta, Missa de Patrono seu Titulari cum commemoratione Rogationum ». Haec autem « Commemoratio de Rogationibus fit cum Oratione diei sub unica conclusione ».

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Castello Saltus Rotundi.* Quae adm. Rev. Consulens refert a nobis dicta in Ephemeridibus an. 1898, ad pag. 583-584, circa commemorationes omittendas in Missa de Solemnitate translata quando aliae saltem, etsi privatae Missae, locum in eadem Ecclesia locum habeant, vera sunt. At postea, seu anno 1900, Decretum vulgatum est, quamvis eius sit subscripta dies 2. Dec.

1898, in quo E.mi Patres aliquam pro eorum sapientia mutationem induxerunt En itaque ratio praecedentium et subsequentium, quae Ephemerides dixerunt. Nunc autem Decreto standum est, iisque proinde, quae posterius dicta sunt, nempe anno 1900, pag. 228 etc. utpote Decreto inhaerentia, haud vero quae dicta sunt an. 1898. Interim notandum, Missam parochialem cum Officio diei convenientem, eam esse, quae utpote quasi-conventualis locum tenet vere conventualis in parochialibus Ecclesiis, eamque sufficere ut com. et Evangelium Dominicae omittantur in Missa de solemnitate translata.

II. *Pro Hispania.* 1. Canonici pergentes ad circulum, consequenter exeuntes e proprio stallo, repugnat Episcopali Dignitati ipsaeque urbanitati ut transeant ante Episcopum, qui Canonicus non est, vel tantum ad honorem, dum est in suo stallo: quippe qui ratione dignitatis aliis simplicibus Canonicis praecellit. Eoque magis quia, cum omnes Canonici de numero teneantur ad circulos, ullo sine incommodo ex alia chori parte exire possunt.

2. Alii Dubio reponimus cum cl. De Herdt *Pran. Pont. lib. 2, 193*): « Omnes (chorales) stant ad Evangelium, initio se signant, et ad *Verbum caro factum est*, vel si aliud Evangelium sit legendum et ge- nuflectendum , cum Celebrante genuflectunt (1). Quare hic cum Celebrante sit genuflectendum, et non ad *Incarnatus est*, neque in aliis casibus in quibus Celebrans genuflectit, ratio est : 1. quia tunc nihil in choro cantatur, et proinde omnes, ad Celebrantem genuflectentem facile attendere possunt; 2. Evangelium alta voce legitur, et in choro omnes stant auscultantes; 3. plures auctores ob has rationes ita censent de hoc casu, et contra de aliis ; et 4. quia ita moris est, ut testatur Merati (2) ».

3. Episcopo Dioecesano assistente ad Missam, Celebrans, sit Canonicus, sit Episcopus, nulla cogitur positiva lege Dioecesanum expectare, ut se signet in fine *Gloria in excelsis* aut *Credo*.

---

(1) Merati p. 2, tit. 12, n. 17; De Conny, Liv. 1. ch. 8: Iacobs c. 15, n. 8 ; Baert c. 3, n. 9 ; Du Moulin p. 2, ch. 20, num. 30.

(2) P. 2, Tit. 14, n. 33.

Imo rectus sensus dictat, ut seu Hymnus angelicus, seu Symbolum cum signo crucis, relativisque verbis terminetur, quin Episcopus assistens expectetur. Quia, utroque intonato, debet continuari sine interruptione usque ad finem iuxta Rubricas: quod obtineri difficile posset, si expectare Celebrans deberet assistentem Episcopum, uti bene consideranti facile patet. Ceterum Celebrans cum suis ministris, et Episcopus assistens cum Canonicis suis duas partes efformant, quarum, in recitatione Hymni angelici et Symboli, altera ab altera dependere non potest. Alii tamen aliud sentiunt;

III. *Pro Istria.* 1. Referimus verba Decreti **2417** (*4224*) ad 8, quae ad rem optime faciunt: « Una vel altera Missa dici poterit.... in anniversario pro Sacerdote defuncto, dummodo pro eo Oratio *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.* omnino adhibeatur ». Non solum ergo servari potest, sed et servanda erit consuetudo dictae Orationis dicendae in anniversario Sacerdotis defuncti.

2. Circa alterum reponimus, diem 2^am^ Ianuarii, in qua fit de die octava S. Stephani, certe non impedire anniversarium pro defunctis sive stricte sive etiam late sumptum. At Decretum **3753** nonnisi unum pro iisdem personis ad eamdem Communitatem pertinentibus anniversarium late sumptum permittit. Consequenter, praeter primum, celebrari alterum non debet die 2. Ianuarii; et retinenda consuetudo celebrandi Missam de festo occurrente cum applicatione pro Sodalibus defunctis, nisi forte omnino requiratur Missa de requie, statuenda in casu alia die libera.

IV. *Pro Etruria.* Decretum in *Brixien.* respicit Antiphonam *Si iniquitates* et psalmum *De profundis* in reditu ad Sacrarium dicendum: Decretum in *Florentina* respicit *Requiescant in pace*, et *Animae eorum etc.* Ergo optima est perfecteque quadrat responsio Decreti recentioris ad dubium propositum. Namque agit de Antiphona *Si iniquitates* Decretum in *Brixien.* et de psalmo *De profundis:* alterum in Florentina de *Requiescant in pace* et de *Animae eorum etc.* in ultimo Dubio. Porro, si dicendum est *Requiescant in pace* et *Animae eorum*, necessario etiam Oratio praemittenda, uti patet. Nunc autem Decretum recens in *Vicentina* de his omnibus et singulis loquitur. Ergo.

V. *Pro Curenna.* 1. In Orationibus liturgicis nihil mutare licet, nisi S. R. C. permiserit. In Secreta igitur pro Patre et Matre non licet mutare *Sacrificium* in *Orationem*, neque *offero* in *facio*. Aliunde Sacrificium, quod pro aliquo offertur, vero intelligendo tamen sensu, offertur pro omnibus vivis et defunctis, quatenus omnes de eo pro intentione et dispositione participant.

2. Orationes, etiam extra-liturgicae, semper a Sacerdote dicuntur stante, numquam genuflexo, si unam excipias, quae post Missam dicitur. Hinc eadem sequi optime potest generalis norma pro Oratione ad psalmum *De profundis*, qui, permittente Episcopo, post Missam defunctorum recitari potest. Si tamen quis genuflexus maneret, uti in Oratione fit, quae post Missam dicitur, non foret censura notandus, quia privata est Oratio. Idem dicas de eadem Oratione in functione extra-liturgica, quae vespere persolvitur.

3. Quinque dicuntur anniversaria ex legato fieri infra annum pro Confratribus Sodalitatis a SS. Rosario nuncupatae: alterum post Purificationem, alterum post Annuntiationem, tertium post Assumptionem, quartum post Nativitatem, quintum post SS.mum Rosarium. Sed credimus semel tantum in anno posse mori: ut proinde, quamvis eo nomine appellentur, vera nihilominus anniversaria non sint; sed *ad instar* ad summum vocari possunt. Ex praesenti tamen iure ex his unum tantum fieri potest in duplici minori nisi determinatae diei affigatur, et considerandum uti anniversarium late sumptum. Hinc Oratio esse debet anniversarii propria; ius namque liturgicum praesens dictum anniversarium, quamvis late sumptum, recognoscit tamen uti verum, quamvis minus privilegiatum aliis stricte sumptis. Una autem erit Oratio in anniversario, licet late sumpto, iuxta Gen. Missalis Rubricam (*V. 3*), tres in aliis, quorum Missa erit quotidiana.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Novembri 1900 proposita

PROPOSITIO.

Titius Sacerdos e Roma pergens in Galliam, apprime sciens horologia gallica anticipare una quasi hora tempus comparative ad horologia italica, transfert recitationem officii diei ad undecimam circiter horam noctis, iuxta horologia gallica, dum interim iuxta horologia Urbis duodecima iam longe praeteriit; satisfecitne ?

SOLUTIO.

Priusquam directe quaestioni respondeatur, non inutile erit principia declarare, quae Theologi omnes in hoc puncto profitentur, ut magis clarescat difficultas enodanda seu problema resolvendum.

Primum principium : Breviarium est onus diei, et itaque si quis satisfacere velit suae obligationi, illud semper recitare debet ante extremum limitem diei currentis. *Secundum principium:* Finis extremus diei in casu est ipsum medium noctis, quo adveniente, incipit ipso facto sequens dies, et ita qui in hoc momento nondum satisfecit, iam est in impossibilitate satisfaciendi. *Tertium principium :* Praefatum autem medium noctis non ubique eodem instanti evenit, sed variatur iuxta lineam meridianam unicuique loco propriam, imo diversificatur prout illud habebis iuxta *tempus medium* aut secundum *tempus verum* vel etiam iuxta *tempus zonarium*. Unde tota difficultas proposita se refert ad hoc tertium principium, et reducitur ad duo sequentia, nempe: 1° An ad satisfaciendum sequi debeat Titius horam Urbis vel Galliae ? 2° An hora loci sequenda computari possit indifferenter in casu secundum tempus medium, aut verum, vel zonarium, prout Titio magis placuerit ?

I. An ad satisfaciendum sequi debeat Titius horam Urbis vel Galliae ?

Resp. Solutio prorsus a territorio pendet, in quo versatur Titius,

quando iam advenerit medium noctis pro Italia. Ad rem habetur illud celebre D. Ambrosii loquentis de lege communi servandi ieiunii, quod Mediolani non servatur in primis quatuor diebus Quadragesimae: « *Cum Romam venio, Sabbatum ieiuno; cum Mediolani sum, non ieiuno; sic et tu ad quamcumque Ecclesiam veneris, eius morem serva* »: quod aliis verbis reddit S. Augustinus:

« *Si Romae fueris, romano vivito more;*
« *Cum fueris alibi, vivito sicut ibi* ».

Et de facto, lex recitandi horas Canonicas non solum sequitur Titium in quocumque loco erit, quatenus personalis et lata pro universa Ecclesia; sed etiam territorialis est, et datur hora variis regionibus accommodata, ut omnes norunt, ad terminandam obligationem recitationis, adeo ut praefata hora servanda sit quasi aliquid substantiale ut lex valide impleatur. Quapropter, si Doctores interrogas de ista recitatione, quae post Missam est praecipuus actus orationis publicae, dicent: *locus regit actum*, et proinde hora in casu pertinet ad valorem Breviarii iuxta mutationem locorum. Adde prorsus aequum esse, qui sentit commodum, eumdem sentire debere et incommodum; unde qui utitur legibus loci, ubi versatur, quando istae illi favent, naturale est eum obligari, quando aliquod inconveniens secum important. Verbi gratia, si in tua Paroecia abstinentia servatur, non potes eam frangere quamdiu in ea manes, nec excusare potest privilegium loci, quo venturus es, quia eo nondum venisti; e contrario, ubi non ieiunatur, mane potes manducare, et quidem carnem, quamvis eodem die perventurus ad locum ubi ieiunatur: quod valet, etsi agatur de lege communi diversimode adimpleta iuxta diversitatem locorum, ut ieiunium in Vigilia S. Petri apud Italiam et Galliam; in una regione fit in Vigilia festi, in altera in Vigilia solemnitatis, hinc doctrinam Theologorum applicando ad casum propositum, resolves:

a) Si Titius iuxta horologia italica non relinquit territorium Italiae ante duodecimam noctis, vetatur ei remittere suum Breviarium diei currentis ad hanc usque praefatam horam etiamsi vix undecima hora foret in Gallia, ubi mox ingressurus est, et insuper ei superesset satis temporis ad recitationem Officii ante medium noctis iuxta horologia gallica. Ratio est quia, media nocte transacta ubi Sacerdos ille versatur, ipso facto cessat tempus assignatum ad satis-

faciendum hac die in italico territorio; et quoniam non datur obligatio unquam bis idem praeceptum adimplendi, Titius certe non poterit tardius satisfacere in Gallia, et de omni necessitate recitare debet suum Breviarium in hypothesi ante duodecimam italicam horam.

b) Si Titius versatur in territorio gallico antequam sonuerit duodecima hora noctis ad horologia Urbis tunc retardare poterit Officium iuxta horam Galliae, quia iam versatur in territorio praefato, ubi media nox una quasi hora prorogatur iuxta meridiem Parisiorum, et sufficit ad satisfaciendum quod satis supersit temporis ad illud recitandum, priusquam sonuerit hora duodecima gallica. Neque obstat quod ex industria sic transfertur, quia eo ipso quod nondum perimitur tempus recitandi Breviarium in Italia iuxta hypothesim, Titius utitur iure suo recitandi conformiter ad horam Galliae, quam iam petivit; et non agit in fraudem legis, neque ei proinde fraus patrocinari potest, sed favet tantum conditio loci, quae unam aliam ei suppeditat horam ad satisfaciendum. Nihil itaque invalidare potest recitationem Breviarii in Gallia, cuius subiectus factus est, antequam medium noctis in Italia factum fuerit (1).

II. An autem hora loci sequenda computari possit indifferenter in casu secundum tempus medium, aut verum, vel etiam zonarium, prout Titio magis placuerit?

Resp. 1. Titius sequi potest tempus medium, quod mensuratur quasi dies essent perfecte aequales inter se, et ideo signatur ab horologiis, quae, semel bene regulata, nec deviant nec mutantur, sed post anni circulum solem in eodem circulo meridiano inveniunt. Ad hanc enim interrogationem: « An tam pro recitatione officii divini, quam pro ieiunio naturali ante communionem praescripto, vel etiam pro abstinentia a carnibus aut lacticiniis diebus ieiunii, conformare se quis possit tempori dicto medio, vel iuxta proprium placitum, tempori vero vel medio, ita ut aliquando uni, aliquando alteri adhaereat », quid S. R. C. respondit? Declaravit, audita prius sententia in scriptis alterius ex Apost. Caerem. magistris, *posse stare publicis*

(1) S. Liguori, lib. I, n. 157; lib. VI, n. 298 in fine; Theol. Lingon. a Dom. Jaugey, *De Legibus*, cap. 5, § 5; Ballerini, *de legibus*, n. 95, et Tom. I, n. 481 in fine; Guillois, Tom. 2, pag. 543, et Tom. 3 pag. 151.

horologiis (1). Quae certe intellige sub ista clausula: « dummodo de errore non constet, ut bene advertunt *Lugo* et *Escobar*, vel modo, addo cum *Croix*, horologium non sit de illis quae ut plurimum errant, quia haec praesumuntur semper errare » (2). Hinc in conscientia securus est Titius, si horam horologii publici regionis sequitur.

Resp. 2: Titius se conformare potest tempori vero loci, ubi versatur, id est horae quae respondet exacte momento, quo revera sol attingit lineam meridianam huic loco propriam, interdum tardius, interdum citius, prout astronomici docent, et unde resultat inaequalitas dierum. Siquidem Congregatio nihil in contrarium dixit in praecedenti decreto, et si loquatur dumtaxat de tempore medio in responsione, ratio est quia hora haec sola est in promptu omnium hominum, quoniam nemo habere tenetur cognitiones astronomicas aut tabellas unde verum tempus cognosci valeat. Imo, nedum aliquis recedat a spiritu et voluntate Ecclesiae, sequendo tempus verum, si forte illud habere possit conformiter ad meridianum loci ubi nunc versatur, videtur contra, quod hora in casu esset magis consona spiritui Ecclesiae, quatenus magis conformis veritati, si haec hora valeret tam faciliter cognosci quam altera, et ideo Congregatio non dixit *debere*, sed *posse* stare publicis horologiis. Item Sacra Poenitentiaria, ad dubium: « Utrum ubi horologia adhibentur tempori medio accommodata, ipsis sit standum tum pro onere divini officii, tum pro ieiunio naturali servando ad communionem, vel debeat quis aut saltem possit uti tempori vero » respondit: « Fideles in ieiunio naturali servando et in officio divino recitando sequi tempus medium posse, sed non teneri » (3). Secure igitur Titius sequi posset in casu tempus verum, et forte sexdecim minuta ita illi sic favere pro recitatione Breviarii, cum hucusque potest pervenire differentia inter tempus medium et verum.

Resp. 3: Titius potest etiam se conformare tempori zonario, id est horae, quae, fixa ex tempore medio cuiusdam loci selecti, v. g. Greenwich, imponitur per diversa loca praedeterminata. v. g.

(1) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3365 ad 9.

(2) S. Liguori, lib. VI, n. 282.

(3) S. R. C. 29 Nov. 1882.

Neerlandiam etc. in officiis publicis tam viarum ferrearum quam litterarum expediendarum, si vere haec hora ex conventione gubernii obligat in regione, ubi peregrinatur ille Sacerdos. Audi siquidem R.mum Archiep. Ultraiecten. ad Tribunal S. Inquisitionis recurrentem: « Quandoquidem a I die mensis Maii 1892 omnia horologia viarum ferrearum per totam Neerlandiam, in indicandis horis, regulam sument tempus medium loci Greenwich in Anglia, quod tempus tertiam fere horae partem retro distat a medio tempore in Neerlandia, diciturque tempus zonarium, Gubernium civile praescripsit ut et ipsa horologia officiorum publicorum expediendis litteris nuntiisque telegraphicis idem tempus medium loci Greenwich indicarent. Quia insuper sive a magistratu civili sive per usum, alia quoque horologia publica tempori praefato multis saltem in locis conformabuntur, quaestio exsurgit: utrum possint clerici et fideles per totam Neerlandiam in ieiunio naturali, caeterisque ecclesiasticis obligationibus observandis, observare tempus medium loci Greenwich, an vero sequi debeant verum tempus iuxta meridianum proprii loci ». Ad quod E.mi Inquisitores responderunt: « *affirmative ad primam, negative ad secundam partem* (1). Item ad instantiam: « Utrum, non obstante quod de facto non (*multis in locis*) alia horologia publica se conformarunt tempori medio Greenwich, clericis et fidelibus in Neerlandia in ieiunio naturali caeterisque ecclesiasticis obligationibus servandis licitum sit sequi tempus illud medium Greenwich, quod a die 1ª mensis Maii 1892 per totam Neerlandiam in omnibus officiis publicis tam viarum ferrearum, quam litterarum et telegrammatum expediendorum introductum fuit? » Responderunt adhuc E.mi: *affirmative* (2). Hinc aperte sequitur, quod si tam in Italia quam in Gallia Gubernium adhiberet pro officiis publicis zonariam horam huiuscemodi, et illa faveat Titio in casu, ille sane huic praefatae posset se conformare.

Quibus omnibus condensis, Titius valet transferre Breviarium suum usque ad undecimam circiter horam noctis iuxta tempus medium, verum, aut zonarium Galliae, si vere iam definitive exivit ab Italia ante duodecimam horam noctis, iuxta tempus medium, verum,

(1) S. R. C. 9 Maii 1892.

(2) S. Inquisit. C. 9 Aug. 1899.

aut zonarium Italiae. Si vero post duodecimam italicam horam peteret dumtaxat Gallicum, non satisfaceret. Ita salvo meliori iudicio.

A. FOURNERET
Censor Acad. Liturg. Roman.
Parochus loci vulgo dicti Lannes (dioecesis Lingonen).

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE APRILI 1901.

Infra Octavam Corporis Christi, ubi ita privilegiata est, ut sola duplicia classica sive occurrentia sive translata admittat, fieri ne potest de die octava alterius festi?

APPENDIX

SS. D. N. LEONIS DIV. PROV. PAPAE XIII
CONSTITUTIO APOSTOLICA
DE RELIGISORUM INSTITUTIS
VOTA SIMPLICIA PROFITENTIUM

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD FUTURAM REI MEMORIAM

Conditae a Christo Ecclesiae ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas aetate hac elabente utriusque sexus tamquam familias ediderit, quae, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiae operibus sancte devovere contendunt. Quae quidem pleraeque, urgente caritate Christi, singularis

civitatis vel dioecesis praetergressae angustias, adeptaeque, unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectae quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. — Duplex porro earumdem est ratio ; aliae, quae Episcoporum solummodo approbationem nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur ; aliae vero de quibus praeterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes quaenam Episcoporum iura esse oporteat, quaeque vicissim illarum in Episcopos officia sunt qui opinentur incertum controversumque manere. — Profecto, ad *dioecesanas* consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum ; eae quippe una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quaestio de ceteris oritur, quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt auctae. Quia nimirum in dioeceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine; ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicae consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.* — Iamvero perspicuum inde fit, tales consociationes neque in *dioecesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse nisi intra fines dioecesis cuiusque, incolumi tamen supremi earumdem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Praesidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas est invadere ; eadem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Praesidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot mode-

ratores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in dioecesibus alumni earum versentur ; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. — Concordem atque unanimem Praesidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet, at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas, quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat ; ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositi, duo praescriptionum capita edicere visum est ; alterum de sodalitatibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum haec habet servanda :

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit, si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente, probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant : an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficen-

tiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quae redditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quae stipe collaticia vivant; item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si quae autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum cura atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent nisi maturo adhibito severoque consilio.— Praeterea Episcopi religiosarum domos, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

VI. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

VI. Semel approbatae sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae, probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat: eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi

remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferentis praeerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (num. VIII) explicate praefinitur.

Alterum praescriptionum caput, de sodalitatibus, quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habet servanda:

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum; integra tamen Episcopi facultate, a Synodo Tridentina tributa (1), ut, quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula*, et Consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus cuius in dioecesi habentur, per se vel per alium praeerit, ut Sedis Apostolicae delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua,

(1) Sess. XXV, cap. XVII, de Regul. et Monial.

unius est romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede Apostolica, nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universae sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare temperare ne liceat.

III. Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Episcoporum similiter est solemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare.

IV. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura*, ut inquiunt, *partiali*, utantur, Episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnaeve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo*, eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras, quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveat, nisi hisce conditionibus : ut a moderatoribus quisque suis proponantur ; ut quae a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus*, sint rite impleta ; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur ; ut theologiae studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum*, die datum IV novembris anno MDCCCXCII.

VII. In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quae habet decretum *Singulare quidem* a sacro

Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die XXVII martii anno MDCCCXCVI.

VIII. In iis quae ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis dioecesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsis et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates muliebres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam constitutionis *Pastoralis curae*, a Benedictio XIV decessore Nostro editae, ac decreti *Quemadmodum*, dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito, die XVII decembris anno MDCCCXC; quod quidem decretum ad virorum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime initiantur.

IX. Bonorum, quibus sodalitia singula potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maximamve Antistitam eorumque Consilia esse debet: singularum vero familiarum redditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum ut neque Praeposito neque Antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet; idem ne sortes minuantur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis, Episcopali vigilantiae ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris

tamen privilegiis quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae, de iisque opportune statuendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, aeque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirire num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sane doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur. — Reprehensionis dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat, illico moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. — Ad rem vero oeconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdolio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis.

His porro, quae hactenus ediximus, sancivimus, nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicae decreto concessis, tum immemorabili aut saeculari consuetudine confirmatis, tum etiam quae in alicuius sodalitatis legibus a romano Pontifice approbatis contineantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel im-

pugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationis his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo, sexto idus decembris, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

Card. C. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Pro-Praef.*
ALOIS. Card. MACCHI.

VISA
DE CURIA I. DE AQUILAE VICECOMITIBUS
Loco ✠ Plumbi
Reg. in Secret. Brevium.
I. CAGNONIUS

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile.

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.